





1782  
A3  
249

DISSERTATIO IVRIS CIVILIS ANTIQVI  
DE  
**C O E M T I O N I B V S**  
QVAE FIEBANT  
**S A C R O R V M I N T E R I M E N D O R V M**  
**C A V S S A.**

*AD CICER. ORAT. PRO L. MVRENA CAP. XII.*

• • • • • • • • • •

QVAM  
P R A E S I D E  
**G E O R G I O S A M V E L E M A D I H N**  
IVRISCONSVLTO ET ANTECESSORE  
ATQVE ORDINIS ICTORVM H. T. DECANO  
IN ACADEMIA REGIA VIADRINA  
DIE IVNII C I O C C L X X X I I .  
P V B L I C A E E R V D I T O R V M D I S Q V I S I T I O N I  
S V B M I T T E R E V O L V I T  
A V C T O R  
**A D O L P H V S G V I L I E L M V S F R I D E R I C V S C O C H I V S**  
P O T S D A M I E N S I S .



---

*T R A I E C T I A D V I A D R V M ,*  
*E T Y P O G R A P H E O W I N T E R I A N O .*

**A**ntiqui huius iuris tenuis quaedam vmbra duntraxat ad nos peruenit, solaque nobis coniectura atque diuinatio est relictā.

ALCIAT. IX. Parerg. 9.



ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO ABRAHAMO**  
LIBERO BARONI  
**DE ZEDLITZ**  
DYNASTAE IN KAPSDORFF ET MICHELWITZ  
AVGVSTISSIMI BORVSSIAE REGIS  
IN CONSILIO SECRETIORI STATVS ET  
IVSTITIAE ADMINISTRO ACTVALI  
SVPREMI CONSISTORII OMNIVMQVE RERVVM  
ECCLESIASTICARVM SVMMO PRAESIDI  
COGNITIONVM OMNIVM CRIMINALIVM  
SVMMO MODERATORI  
ACADEMIARVM REGIARVM CVRATORI  
CET. CET.  
DOMINO  
SVO LONGE INDVLGENTISSIMO

HAS QVALESCVNQVE  
STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS  
INTER PIENTISSIMA VOTA  
PRO  
TANTI MAECENATIS INCOLVMITATE  
ATQVE  
FELICITATE PERPETVA  
SVBMISSA MENTIS VENERATIONE  
SACRAS ESSE CVPIT

AVCTOR  
ADOLPHVS GVILIELMVS FRIDERICVS  
COCHIUS.



## L. B.

 Video quidem hocce potissimum exercitatio-  
nis academicae thema ad commendatio-  
nem Illustris Dni PRAESIDIS eligentem  
eorum me incurrire inuidiam, \*) qui splendido  
pragmaticorum nomine elati alto omnia supercilio  
despi-

\*) Sed qui a suorum laborum perfectione videbatur non procul abesse,  
repentino et praematuero fato moritur COCHIVS, aetate florente,  
mirifica sui expectatione inter nos ita versatus, ut, parto Maiorum vir-  
tute genti sua decore dignum se redditurus, per omnem aetatem  
veram doctrinae et virtutis gloriam sibi sectandam proposuerit.  
Etenim vt ad ipsa veterum tam Graecorum quam Romanorum mo-  
nimenta aditum sibi aperiret, primam, eamque multam, posuit  
operam in viriusque doctorum virorum linguae cognitione sibi  
comparanda, cuius ope deinceps in omni Historiarum et Antiqui-  
tatum disciplina tantum profecerat, vt eorum, quae de publicis, sacris  
priuatisque rebus memorabilia tradiderunt veteres, insignem plane  
scientiam sibi adquisiuferit. Et tantis adiutus subsidiis felici pror-  
fus sidere ad ipsam Iurisprudentiam progressus, omnes castissimae

The-

despiciunt, quae in viuam praxin deduci nequeunt, omniaque veteris iuris capita et veneranda antiquitatis monumenta ignorare gloriae fibi laudique ducunt. Sed neque isti, quibus respondeatur, digni satis videntur, et toties illis responsum fuit a viris doctis atque antiquitatum amantibus, quod pari semper passu ambulat, ut nihil nobis in ea re sit reliquum. Ceterum qui hocce animo imbuti nulla arte ad meliores fruges reducuntur, suis ipsis erroribus probant, pessime antiqua ignorari. Missis igitur illis, his potius obuiam eundum putamus, qui locum Ciceronianum,

Themidos difficultates longe feliciterque superauit et ad intima quaeque eius sacraria se penetrauit. Omnes Iuris fontes repetiit, quantoque ea re plus, iudicio ciuili, intelligentiae atque explanationi veterum, omnis antiquitatis cognitioni, ipsis etiam, quae quidem ex his Quiritium legibus instruatur, dicendi elegantiæ accedere intellexit, tanto acrius in eos incubuit, simulque, me suadente, euoluit **ALCIATOS**, **CVIACIOS**, **CONTIOS**, **CONNANOS**, **BALDVINOS**, **MERILLIOS**, **FABROS**, **NOODTIOS**, **SCVLTINGIOS**, **WESTENBERGIOS** et quidquid ceterorum venustiorum est hominum, qui fugientem a seculis recentioribus nitidam Thémidem remorati sunt. Ex his omnibus demum quos diurna versauit nocturnaque manu, egregian illam hausit iuris doctrinam, quae aetatem Eius longe superabat, suoque simul suos commilitones docuit exemplo, certiore ad agendum Iurisconsulto dignam personam non esse viam, quam si ipsis perpetuo inhaereatur legum **capitibus** et in earum originibus cauissime probe expendendis et intelligendis magis, quam in **interpretibus** euolwendis vulgaribus collocetur industria. Tot igitur tantaque **cochiti** mei decora luculenter profecto monstrabunt, quantam in Eo fecerit iacturam spes futurorum temporum.

nianum, in quo explicando doctissimi quique desudarunt, retractantem soli facem accendere marique addere guttulam arbitrabuntur. Sed ignoscant summorum Virorum manes, si rem ipsam difficilem, eos in illa explicanda difficultatum nimis studiosos multo difficiliorem fecisse putauerim, atque a simplici ea-que vera explicatione simul aberrasse, quod in illis eruendis, quae spissa antiquitatis caligine premuntur, haud raro accidere solet. Et plane si ullum antiquitatis Romanae caput vberiorem curatioremque expositionem, certe hoc meretur praeclarum ICTORUM inuentum atque aeternum splendidissimumque inge-nii Romani monumentum, cuius ad mysteria me penetrantem ingenue fateri oportet, me istius verio-rem explicationem non meo ingenio, sed ut omnem, quantulacunque mihi sit, legalis artis cognitionem Illustri Dno PRAESIDI debere. Ignoscas igitur, L. B., si in tanto argumento versatus in refellendis aduersariorum sententiis paullo longior fuerim, occa-sionem inde capessurus, omnibus, quae huc facere possunt, clariorem lucem affundendi, atque pri-mitarianum hominis in arte legitima noui prodeuntis be-nigniorem te praebetas censorem, ubi praesertim tot tantisque viris errare licuit, etiam atque etiam rogo.

CICERO

CICERO ORAT. PRO L. MVRENA CAP. XII.

Nam cum permulta praeclare legibus essent confi-  
tuta, ea Iurisconsultorum ingenii pleraque corrupta  
atque depravata sunt. Mulieres omnes propter infi-  
mitatem consilii, maiores in tutorum potestate esse vo-  
luerunt: hi inuenerunt genera tutorum, quae potestate  
mulierum continerentur. SACRA INTERIRE ILLI  
NOLVERVNT: HORVM INGENIO SENES AD  
COEMTIONES FACIENDAS INTERIMEN-  
DORVM SACRORVM CAVSSA REPERTI  
SVNT. In omni denique iure civili aequitatem reli-  
querunt, verba ipsa tenuerunt: vt, quia in alicuius li-  
bris, exempli cauſſa, id nomen inuenerant, putarunt,  
omnes mulieres, quae coemtionem facerent, Caias  
vocari.



DE

**D. E.**  
**COEMTIONIBVS QVAE FIEBANT SACRORVM  
INTERIMENDORVM CAVSSA.**

**§. I.**

*Sacrorum diuisio.*

**C**summam fuisse sacrorum apud Romanos diuisiōnem, ut vel publico sumtu pro ipsis reipublicae salute suscepta, vel a singulis priuatis suis sumtibus numini cuidam facta fuerint, quorum illa publica dicebantur, haec priuata, vix est, quod ex FESTO moneam. Vtriusque generis sacrorum quasi appendices erant priuatorum libamenta, adolations, caetera, quibus aerae adaugebantur. Priuata sacra vel erant vniuersae alicui genti communia, vel familiae, vel denique singulis propria, eodem FESTO sub voce: *Publica sacra* atque *MACROBIO saturn. l. I. c. 16.* testibus. *Gentilitia*, quae aliquando latiori familiae significatu *familiaria* veteribus dicuntur, *V. C. MACROBIO*, sicuti et familia hoc sensu cum gente confundi folet, non nisi gente ea, cuius erant, exstincta interibant, quare et pontificum erat in arrogationibus notio, ne quid ea detrimenti caperent. Quae vero pro singulis factitabantur

A *sacra*

*sacra, domestica iure denominata, quia intra cuiusque domum priuatosque parietes celebranda erant, patrisfamilias, qui in quavis domo dominium habebat, personam non egrediebantur, huic enim arctissime erant adiuncta. Sacra denique familiaria numinum, quae sibi quiuis primus familiae conditor colenda sumserat, tutelarium cultu absoluuebantur, et sacrificiis stato tempore, veluti quiuis mense, ceremoniis incommodis ferisque frequentibus celebrandis maiori oneri fuerunt.*

## §. II.

*Sacra priuata pontificum placitis pecuniae adiuncta; non tam omnia, nec domestica, nec gentilitia.*

Erat in pontificum, quos summos rei diuinae omnisque religionis arbitros iam Numa instituerat, placitis: *Sacra perpetua sunt atque aeterna, quod non eam solum vim habet, ut priuata rite colere sacra iubeat, sed et ne publica deserantur vetat.* Inde expugnatis etiam atque radicibus deletis hostium viribus deos certe ibi cultos Romanum euocabant, ne contra ipsos Deos immortales pugnasse videantur. In sacris vero priuatibus (familiaribus nimis et gentiliis; domestica enim aeterna per naturam suam nunquam fieri poterant) ne hanc quidem regulam, ut converuentur atque deinceps familiis prodantur, sufficere, cum viderent pontifices, quia plures erant modi, quibus familiam gentemque minima capitis deminutio exuere licet, pecuniae adiuncta esse sacra voluerunt, ut ad quos successionis emolumentum ad eosdem sacrorum onus devolueretur. Sed an omnia sacra priuata an certa tantum eorum species et quaenam adligata pecuniae fuerit, de eo diuersae sunt doctorum virorum sententiae. Plerique generali,

rali, credo, M. TULLII locutione moti, qua semper  
sacra illa simpliciter priuata dixit, omnia sacra priuata pe-  
cuniae adiuncta putarunt, ad quos referendi sunt, SIGO-  
NIUS de ant. iur. Ciu. R. I. t. c. 8. SCHWARTZ in Diff.  
de detestatione sacrorum. §. 5. BALDVINVS in iurispr. Mu-  
cian. p. 70. edit. Gundling. GEORG. D'ARNAUD Var.  
coniect. I. 2. c. 1. gentiliciorum tantum meminit, et TRE-  
KELL in app. lib. de orig. et progr. testamenti fact. ap. Rom,  
domestica ea fuisse arbitratur, his CICERONIS I. 2. de  
LL. c. 19. verbis ductus: „Hoc vno posito haec iura pon-  
„tificum auctoritate consecuta sunt, vt ne morte patrisfa-  
„milias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adiun-  
„cta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit.“ Sed  
non vidit Vir. Clar. sacra familiaria vnius patrisfamilias  
domo, ab initio certe, includi; complexum enim agna-  
torum communi tantum iure familiam dici, qua iure pro-  
prio personae sub vnius patrisfamilias potestate patria con-  
stitutae comprehenduntur, docet VLPIANVS L. 195. §. 2.  
de V. S. Probant quoque antecedentia Ciceronem hoc  
loco de sacris domesticis non cogitasse, ait enim: „De  
„sacris autem, qui locus patet latius, haec sit vna senten-  
„tia, vt conseruentur semper, et deinceps familiis prodan-  
„tur, et, vt in lege posui, perpetua sint sacra.“ Do-  
mestica nimirum sacra sua natura tradi familiis nequeunt;  
ea enim indole sunt, vt singulis patribus familias singulisque  
in vna domo sub imperio patris familias positis perso-  
nis adhaereant, et, si ad familiam deinceps deuolueren-  
tur, hoc ipso familiaria euaderent. Deinde, si dome-  
stica sacra hereditaria fuissent, nec villas a quo quis patre-  
familias suo arbitrari constitutas sibi caeremonias feriasque  
interire pontifices essent passi per annos D, necdum vllis

A 2

interi-

interimendorum sacrorum artificiis a Scaeuela adiuentis, tanta sane caerimoniarum, tanta feriarum vi obruta fuisse Romanorum ciuitas, ut nullus, nisi feriatus, nullus nisi sacrificiis celebrandus dies toto anno singulis esset; natura certe omnis domesticorum sacrorum inuertenda erat. De gentiliis autem recte TREKELL l. c. „cum ipsa, ait, gente durabant, et non nisi cum ea simul extinguebantur. Singulae vero personae iis solvi poterant, iisdem modis, quibus iura gentilitatis soluerentur; sicut et iisdem acquiri poterant modis, quibus iura gentilitatis acquirerentur.“ Nullus vero, quo sacra ad posteros deuolui a CICERONE docemur, modus iura gentilitatis tribuit, et quicquid CL. D'ARNAUD l. c. adfert, nihil probat, nisi sacra Romanos gentilitia habuisse. Haec quoque ne interirent non adeo anxie curandum erat pontificibus; etenim non facile factu fuerit, ut tota gens interiret; neque tantum molestiae habebant, ut eorum interemtionem adeo exercuisse summorum ICtorum ingenia verosimile sit, quem sacrificio plerumque quotannis faciendo absoluuerentur. Denique ubi apud veteres sacrorum gentilitiorum mentionem factam inuenimus, nemo inter eos, qui illa celebrarunt, nominatur, qui ad gentem non pertinuerit, quod sane fieri non posset, si ea pontifices singulorum membrorum pecuniae adiunxissent. Sic e. g. DIONYS. l. 9. solo Fabios cum paucis clientibus, qui, vbiunque pompa quid celebrandum esset, patronos comitabantur, ad sacra gentilitia peragenda Roman profectos tradit, erantque sacrificia gentilitia eius plerumque conditionis, ut ab extraeno celebrari non potuerint, vti sacra Seruiliae gentis, quae trientem ideo colebat, quia crescendo augmentum, de-

decrescendo calamitatem portendebat genti, quae ratio  
in extraneo nulla erat.

### §. III.

*Sacra familiaria pecuniae adligata; ordo succedendi in  
ea; artificia ICtorum eum interuertentia.*

Consequens est ex dupli<sup>i</sup> §phi praec. probatione neque gentilitia neque domestica sacra pecuniae adiungi potuisse, ergo nec omnia sacra priuata; restat itaque familiaria fuisse haereditaria, quae ideo simpliciter priuata dicta videntur, quia domestica minoris momenti erant, gentilitia vero quodammodo publica, non quidem, quod in reipublicae salutem, sed quod publica pompa locoque publico in facello pontificum ex instituto factitarentur. Idem confirmant CICERONIS verba, et quae supra attulimus: „et deinceps (sacra) familiis prodantur“ et quibus l. 2. de LL. c. 6. in lege constituenda vtitur: „Ritus „familiae patrumque seruanto.“ Sed obiicientem audire mihi videor, quare ad conseruanda sacra familiaria, vt adiungantur pecuniae, opus fuerit, cum familliae membra illis essent adstricta, nec CICERO moneat, his demum interemtis ad heredes ea transire? Verum inter ipsos quoqua CICERONE traditos de successione in sacra ordines, primum heredum secundum eorum esse animaduerto, qui tantundem quantum omnes heredes, ceperint, ex quo luculentier intelligimus, non quemuis successorem in sacra in subsidium deficients prioris esse constitutum. Familiaribus certe sacris, si vilis, prospiciendum erat, ne intereant;

A 3

dome-

domesticorum enim ea erat natura, ut conseruari non potuerint, et gentiliorum quam familiarium interitus longe rarius erat. Et rationem habent pontificum placita, quibus sacra familiaria pecuniae adjunxerunt; naturali enim indole familiae adhaerebant, et duplicum nos familie significatum, quo et in res et in personas deducitur, **VLPPIANVS L. 195. §. I. de V. S.** docet, restat ergo pontifices hoc loco familiam in utramque partem sunt interpretati, uterque enim sensus locum habere potest, sacrisque familiaribus et eos adstrinxerunt, qui bona alicuius per vniuersitatem acquirebant, i. e. qui in totam alterius familiam pecuniamque succedebant, quorum ordines quinque a Scaeuela constitutos seruauit **CICERO L. 2. de LL. c. 19.** Primus scilicet heredum erat, nempe *ex testamento*, heredes enim ab intestato sive legitimi tanquam membra familie sacræ eius iam erant adstricta; alter eorum, qui morte *testamentoue tantundem capiant*, quantum omnes heredes, i. e. legatariorum partiriorum, quod legatorum genus iis temporibus usu maxime fuisse frequentatum scimus, quodque solum familie alterum semissem continebat, altero autem semissem apud heredem heredes cum successione vniuersali remanente, cui ergo soli sacra adiungi poterant. Tertium ordinem constituunt, qui *de bonis*, quae eius fuerint cum moritur, usuperint plurimum possidendo, sive bonorum possessores, qui sub hac denominatione Scaeuelæ temporibus nondum innotuisse videntur; hos enim non hereditatem ex iure Quiritum, sed meram tantum usu capiendi conditionem ab initio acquisuisse satis certum est. Et iustissima sane eorum cauilla est, proxime enim ad heredum personam accidunt, **L. 117. de R. I.** Quarto ordine continetur *de creditoribus eius*, qui plurimum seruet,

et

et quinto denique *is*, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminique eam soluerit. Hisce vero omnibus effectum est, ut sacra familiaria latius in dies diffusa, et per tot anteriorum seriem ab instituto pontificum collegio in quavis familia mirum in modum aucta summis molestiis ciues feriis atque solemnibus sacris obrutos afficerent, quibus cum liberari, emolumentis vero sacris adnexis nihil minus frui cuperent, inuenta sunt plura ad utraque separanda ICtorum ingenio artificia, ex quibus tria eodem loco a CICERO commemoerantur inuenta in commodum legatoriorum. Primum, quod deductio atque deducta (vid. TVRNEBVM ad h. l. Cic. et MEVRISIVM Critic. Arnobian. c. 13.) dicebatur, testatori, qui legatarium non adstringi sacris volebat, C. nummos deducere consulebat, ut sic legatarius, tanto minus, quam ad heredes peruererit, capiens ad secundum Scaeuolae ordinem non pertinere videatur, et vix tamen minus quam heredes caperet. Alterum, si hoc a testatore esset omisum, suadebat, vt, si plura legata partiaria alicui relicta essent, cum v. c. singulos heredes diuersis propositionibus cum legatario partiri iusserat testator, vnum legatarius omitteret, sive minus quam heredes capiendo sacris liberaretur. Ultimum denique erat, si et hoc nollec legatarius, vt nouatio interponeretur, et postquam legatum sibi ab herede, tanquam ex eius bonis stipulatus esset, illum obligatione ex testamento orta liberaret, atque legatum omisisse videretur, quod siebat nexi liberatione per aes et libram; obligatio enim heredi ex lege mancipacioni familiae adiecta per aes et libram quaesita neque alia ratione dissolui poterat. Plura de hoc interimendorum sacrorum modo post explicatam coemtionis rationem dicendi locus erit. Totum quidem

CICE.



CICERONIS locum l. 2. de LL. c. 19—21. explicare, eumque ab iniustis Arnaldii in primis, Gronouii caeterorum coniecturis liberare, et contra Balduni ex iure ciuili petitas obiectiones defendere vulgatae que loci lectionem tanquam veram aduersus eos, qui corruptum totum locum esse atque iam de eo conclamat putant, propugnare in animo erat; sed cum eum in finem iustus exercitationis modus nimium quantum egrandiens fuisset, hoc iam in aliud tempus differo, mox vota soluturus, modo sumimus rerum omnium gubernator vitam otiumque largitus fuerit.

§. 4.

*Coemtio, et de ea variae doctorum virorum sententiae in ordinem digestae.*

Noui ICtorum inuenti ad liberandam sacris pecuniam, quam ex pontificum institutis sine religione capere nefas erat, idem TULLIUS noster c. 12. orat. pro Mur. meminit his verbis; „Sacra interire illi (maiores) noluerunt, horum (ICTORUM) ingenio reperti sunt senes ad coemtiones faciendas sacrorum interimendorum causa.“ Varie torsit hic locus interpretes, et qui interemtionem sacrorum per coemtionem explicare conati fuerunt non eandem omnes viam sunt ingressi, sed, ut sit in re ardua, et hoc quadrat vulgatum: Quot capita tot sensus. Et enim hanc coemtionem vel eam esse arbitrantur, qua in viri manum conuenit vxor, vel genus aliud imaginariae emtionis venditionis speciatim ad interimenda sacra adiumentum,

uentum, idque vel absque praecedente alio negotio solum ab eo, qui sacris adstringebatur, celebratum, vel coemtioni vxorum, vel denique testamento per aes et libram adiunctum. Primam qui sequuntur sententiam sub sacris hac coemtione interemtis vel confarreationem intelligent vel *sacra Romanorum priuata*; illud RAEVARDVS ad LL. XII. tub. c. 21. defendit, quem nihil probasse iure meritoque contendit ABR. A KERKRA DT de *iur. patr.* p. 40., hoc HOTOMANNVS sibi persuadet initio lib. 3. antiquit. Rom. notatus a GRONOVIO l. 4. de pec. vet. c. 7. atque SICCAMA in *Fas. Calend.* c. 4. certe vti perplexa eius verba explicat GRVPEN de *Vx.* Rom. c. 5. §. 23. a quo refellitur. Qui coemtione sacramorum interimendorum caussa factam genus esse emtionis venditionis arbitrantur nulli alii negotio, quo nimis sacra fuerint adquisita, adhaerentis eiusque quasi appendix, eam perfectam affirmant vel omnium bonorum sacris liberari cupientis imaginaria, vel certorum vera venditione, quibus prae caeteris sacra esse adiuncta fabulantur; prius D' ARNAUD var. coniect. l. 2. c. 1. quem ideo notauit CONRADI addit. ad l. 2. parerg. I. atque ALCIATVS IX. Parerg. 19. a GRVPENIO l. c. §. 24. refutatus, posterius sibi persuasit. Qui vero sacra post quamvis pecuniae, cui adhaerebant, acquisitionem hac coemtione interemta esse censem, vel locum illi in quavis acquisitione pecuniae sacramrumque simultanea concedunt, vel in vna tantum determinata, et quidem aut in ea, qua virum vxoris in manum conuenientis sacris, ob pecuniam eius adeptam, adstringi fingunt, aut cum creditor plurimum seruans sacris religioneque debitoris tenetur, aut cum legatarius partitione tantum, quantum heredes, cepit, aut denique in

B

here-

hereditate. Prima opinionis autor est GRONOVIVS *l.c.*  
in cuius verba iurarunt GRAEVIVS ad *c. 12.* Cic. pro  
*Mur.*, SCHWAKTZ de detestat. sacr. §. 8. ABR. A  
KERKRAADT *l.c.* WILH. VAN LOON de manumiss. seru.  
*c. 5.* §. 9. PITISCVS in Lexic. antiqu. voce: coemtionalis;  
CAR. CHR. WOOG de haered. sacror. priu. atque vniuer-  
sum eruditorum vulgus. Sed cum omnibus Romani iuris  
principiis hancce sententiam pugnare monstrarunt GRV-  
PEN *l.c.* §. 27. D'ARNAUD *l.c.* TREKELL in append.  
lib. de orig. et progr. testam. ap. Rom. atque CONRADI  
2. parerg. I. Virum sacris cum bonis, vti sibi persua-  
det, vxoris in manum conuenientis simul adquisitis coem-  
tione liberari MANVTIVS ad *c. 12.* Cic. pro *Mur.* cen-  
set, reprehensus ideo, quod inter coemere et coemtio-  
nem facere distinguit, a GRVPENIO *l.c.* §. 5. atque re-  
futatus a GRONOVO *l.c.* Ad creditorem, qui pluri-  
mum seruauerit, hunc sacrorum perimendorum modum  
pertinere noua, sed, aedepol! quali? ratione absque vlla  
autoritate coniicit ANTONIVS PERELLIVS in suo ad  
Ciceronis pro Muraena orationem commentario, qui exstat  
in Nuova Raccolta d'opusculi scientifici e filologici tomo I.  
Venetiis anno 1755. edito, quem tamen adspicere non li-  
cuit, neque hoc in tanto tamque aperto PERELLI er-  
rore magni momenti esse putamus, praeprimis cum ex-  
cerptam loci nostri explicationem praebant die Goettingi-  
schen Anzeigen vom Iahre 1757. Seite 1270. Sunt vero  
et qui de eodem sacra interimendi modo TVLLIVM et  
*l. 2. de LL. c. 21.* in fine et pro Muraena *c. 12.* locutum,  
legatoriasque coemtione ista sacris liberatos arbitrentur,  
TOACH. nempe CAMERARIVS ad *d. c. 12.*, cuius eo-  
dem loco sententiam reicit GRAEVIVS, atque BAL-  
DVINVS

DVINVS in iurisprud. Muc. p. 74. refutatus a GRVPE-  
NIO l. c. §. 26. Qui denique viderunt coemtionem,  
quae interimendorum sacrorum ergo fiebat, ad heredes  
pertinere vel sacra hocce artificio omnino extincta vel in  
senem translata fuisse putant, cuius demum morte perirent:  
Prior sententia SCALIGERO ad Festum voce: pari probi,  
arridet atque AVS. POPMAE ad Varronem l. 5. de LL.  
p. 544.; sed inuehit in hanc SCALIGERI fictionem  
GRONOVIVS l. c., quem tamen non meliora docuisse  
monstrat GRVPEN l. c. §. 25. Sacra in senem translata  
vero posterioris sententiae sectatores vel certarum haere-  
ditatarum rerum emtione, vel totius haereditatis putant;  
prius propugnat SALMASIVS ad Plauti Bacch. 4, 9, 54.  
quem ideo reprehendit GRONOVIVS ad eundem locum  
Plautinum atque GRVPEN l. c. §. 24. Tota vero here-  
ditas cum sacris translata heredi aut post mortem demum  
senis infsecutam vel extemplore restituenda erat; prius MAR-  
CILIUS ad LL. XII. tab. c. 14., quem refutare conantur  
GRONOVIVS l. c. et illi hoc in capite assentiens GRV-  
PEN; posterius TREKELL l. c. probat, IACOB. de-  
inde GVTHERIVS de iur. pontif. Rom. l. 2. c. 6., quem  
GRONOVIVS l. c. applaudentibus GRAEVIO in praef.  
tomi V. thes. antiqu., GRVPENIO l. c. §. 25. atque  
SCHWARTZIO l. c. §. 9. et CONRADI l. c. refellunt,  
IAN. quoque VINC. GRAVINA de orig. iur. l. 2. §. 77.  
cuius sententiam l. c. examinat GRVPEN, et denique  
CONRADI l. c., cui omnium proxime ad veritatis lucem  
accedere licuit. In eo vero TREKELL a Triumuiris  
hisce doctissimis, GVTHERIO, GRAVINA atque CON-  
RADIO, discedit, quod senes ad coemtiones, quae sunt in-  
terimendorum sacrorum caussa, repertos eosdem esse cum

familiae emtoribus hi putent, ille ab iis diuersos. Hi sunt, quod ego quidem sciam, omnes, qui suam hac de re sententiam scriptis mandarunt; singulas ergo examinemus, et collatae cum principiis iuris Romani an cum illis conueniant pugnentue videamus, pariter atque argumenta, quibus sententias singulas euellere conati sunt aduersarii. Sed priusquam nos ad hanc accingamus disquisitionem, communem omnibus fere errorem discutiamus oportet, ne toties idem repetere opus sit.

§. V.

*Nullam fuisse in sacra familiaria successionem praeter quinque Scaevolae ordines a Cicerone traditos.*

Etenim pulcre deceptus fuit CLAR. D' ARNAUD, cum vulgo eruditos bona tantum ait mortis causa acquista sacris adiuncta existimare; plures enim eundem iam ante eum errorem erasse, sententiae mox recensendae docebunt. Iam id generaliter est notandum, sacra, teste CICERONE, pontificum autoritate, nulla lege esse pecuniae adligata; ergo praeter horum placita illa rationibus alius acquisita fuisse, nullo modo concedi potest. Quae vero sint a pontificibus constituta narrat TULLIUS, nec tanti ingenii virum eo loco, quo hac de re ex instituto agit, quicquam omisisse probabile est. Sequitur, nullam, praeter quinque ab illo traditos ordines, pecuniae acquisitionem cum sacris fieri; hos vero in sola successione mortis causa locum habere ipse TULLIUS monet, cum statuisse ait pontifices, *ut ne MORTE patrisfamilias sacrorum memoria occideret, iis effent ea adiuncta, ad quos eiusdem MORTE pecunia peruererit.* Non omnes successiones

nes in bona, sacrorum onus inuoluisse et inde patet, quia improbabile omnino est, et cum omni iure legeque pugnat, acquisitiones singulares sacra esse secuta; his enim praeter ipsam rem nihil acquititur, nisi quod specialiter rei inhaeret; sed sacra non singulis rebus, verum toti pecuniae familiaeque, i. e. vniuersitati iurium L. 222. de V. S. adligata sunt, quae in successorem singularem non transit. Inuit hoc denominatio hereditatis sacrorum, quo verbo semper pro successione in sacra CICERO vtitur; nunquam enim successionem singularem hereditatem dicimus; probat superius deducta ratio, qua moti pontifices pecuniae sacrorum onus adiunxerunt. Errant igitur, qui omnes legatarios etiam non partiarios atque eos, quibus mortis caussa donatum est, ad secundum ordinem a CICERONE traditum, errant, qui simpliciter uscapientes ad tertium referunt, errant longe magis, qui eos, in quos mera traditione res est translata, annua demum bieniuue possessione ex iure Quiritium acquirenda, hocce ordine contineri censem. Sed acquisitiones omnes vniuersali titulo primo heredum ordine comprehendi putauit D' ARNAUD, solosque nominari heredes, quia successionum vniuersalium frequentissima hereditas est. At nusquam heredis nomen caeteros quoque successores vniuersales complexitur, et si ad generalem Ciceronis sanctiōnem, ut sacra pecuniae adiuncta sint, confudit vir doctus, hoc tantum de pecunia defuncti esse intelligendum eiusdem TULLII verba initio q̄phi citata indicant. Sacra adiuncta sunt pecuniae, ne eorum memoria intereat; sed qui in viuis est, licet bonis omnibus cedens, sacris tamen suis faciendis, nisi simul capite minutus ius sacrorum amiserit, plerumque sufficit; nec assequor, quare, cum bo-

B 3

norum

norum emtor sacris adstringendus CLAR. ARNOLDIO  
 visus fuerit, non et is religione teneatur, cui, beneficio  
 post abrogatas bonorum sectiones nexumque inducto, de-  
 bitor bona sua omnia lubens cessit? Nouit vero sequentes  
 fere, praeter hereditatem atque bonorum possessionem,  
 acquisitiones vniuersales ius Romanum: 1) per adrogatio-  
 nem, 2) per in manum conuentionem feminae sui iuris, 3)  
 ex SCIO Claudio, 4) ex venundatione pretii participandi  
 causa, 5) per bonorum sectionem, et 6) per additionem  
 bonorum libertatum seruandarum ergo. Piores duas ad-  
 quisitiones, quoad effectum ipsum pares, iam coniunga-  
 mus. Quæritur vero hic non de arrogandi atque in ma-  
 num conuenientis obligatione sacra sua conseruandi, quippe  
 quo sacris familiae, quam exuebant, solutos fuisse certissimum est; sed an haec sacra in illis interemta in patris mar-  
 itiue persona ob pecuniam ab eo acquisitam reuiuiscant,  
 et sic arrogandus atque vxor eorum rursus participes fiant? Sacrorum enim particeps, qui statum familiae propriae  
 non habebat, nemo erat, nisi ex persona patris maritiue.  
 Arrogatione vero et in manum conuentione non imme-  
 diate sed mediante patria potestate bona arrogati aut in  
 manum conuenientis acquiruntur, ipseque actus, quo haec  
 patria potestas alicui conferatur, arrogatum pariter atque  
 in manum conuenientem iure sacrorum priorum priuat,  
 perimitque familiam, ergo et sacra eius familiaria, quae  
 igitur accessionis iure tanquam pecuniae adhaerentia ad-  
 quiriri amplius nequeunt. Docet hoc pontificum in adro-  
 gatione de sacris notio (quam in nuptiis legitimis, quae  
 ideo sacris legibus contractae dicebantur, non minus obti-  
 nuisse ostendit GVTHERIVS de iur. pontif. l. 2. c. 7.) in-  
 utilis sane atque superflua, si sacra ista in arrogante in  
 ritumue

ritumue transiissent, quo posito nihil illis metuendum erat.  
 Nituntur quidem GRVPEN de ux. Rom. c. 5. §. 23. atque D' ARNAUD l. c. TVLLII verbis in c. 13. orat. pro dom., quibus ita adoptandum esse ait, ut ne quid aut de dignitate generum aut de religione sacrorum minuatur, atque ideo notionem pontificum interponendam existimant, quia sacra interitura fuissent, si patricius a plebeio sacrorum gentis patriciae incapaci arrogaretur. Sed in ipsorum viscera haec arma retorqueamus, ex citato enim CICERO-  
 NIS loco distinctam fuisse sacrorum et dignitatis causam, et in utramque sigillatim a pontificibus inquisitum patet, quae coniungi debuissent, si ob solam generis arrogandi dignitatem detrimenti quid sacra capere potuissent. Nec omnino licuit plebeio patricium adoptare aut patriciae in plebeii manum conuenire, et haec erat ratio, cur de generis dignitate quaestio esset pontificum, cuius rationem reddit TVLLIVS; prospiciendum scilicet erat, ne patrum gentes minuerentur, quia ex his solis primores sacerdotes, quibus religionis summa commissa erat, eligebantur, et quia soli auspicia capiebant. Deinde non video, qua ex causa plebeius sacrorum familiae patriciae capax non sit, quae nihil praeter deorum penatum cultum continent; nam, quae eum in finem citari solent loca LIVII nihil probant. Virginiam quidem ille patriciam plebeio nuptam a matronis templo pudicitiae patriciae prohibitam narrat l. 10. c. 23. Sed a sacris publicis patriciorum ex instituto propriis ad sacra familiaria argumentum nullum est. Quod vero l. 4. c. 7. Consules contra C. Canuleium de connubio plebis patrumque ad plebem laturum hoc argu-  
 mento vtantur, ut effici inde perhibeant, ne quisque cuius sanguinis sit, quorum sacrorum sciat; id de sacris publicis patricio.

patriciorum propriis atque de auspiciis restius intelligitur. Rem omnem conficit CICERO pro dom. c. 13. haec requirens, ut legitima sit Clodii adoptio, ut Fonteius sit, qui esse debuisset, ut patris (arrogantis scil.) heres sit, ut amissis sacris paternis in adoptiuā venerit. Idem in conventione in manum obtinuisse summa horum negotiorum similitudo suadet. Acquisitio quoque bonorum liberi hominis, qui se pretii participandi causa venundari passus est, pariter atque ea, quae ex SCto Claudiano fit, non contingit nisi iure accessionis propter dominium cuius, tanquam serui poenae, adeptum, et cum sacra eodem actu extinguantur, quo dominium illud adquiritur, pecuniam sequi nequeunt. Accedit iis reipublicae temporibus hos adquirendi modos inualuisse, quibus Pontificatum maximum sibi arrogarunt Caesares, non ut religiosus colli Deos curarent, sed ne magnam in rebus gerendis autoritatēm aliis concederent, quia arctissimo vinculo Romani reipublicae administrationem cum religionis sacrorumque cura coniunxerant. Bonorum emtor sacris adstringi nulla ratione poterat, quia non immediate a debitore obaerato, sed a creditoribus bona, in quaē hi successerant, acquerebat, neque omnino illum aut creditores sacris debitoris alligari opus fuit; nam bonorum sectionem passus superstes erat et capite non minutus, adeoque ius sacrorum retinebat. Putat quidem D' ARNAUD illum pro ciuiliter mortuo Romanis fuisse, sed sine vlla ratione, nam nec GRO-  
NOVIVS, quem sibi socium certaminis adiunxit; huic opinioni fauet l. 4to siue novo obseru. c. 24., nec veterum, quae hic habet, loca, in quibus enecare, funus, vita translatō sensu occurrunt, ut et alibi (vide CIC. de prouinc. Consul. I. TERENT. Andr. 4. I. 36. et Eun. 3. 5. 6.

PLAVT.

PLAVT. Stich. 3, 2, 9. Errat quoque D' ARNAUD, quod bonorum emtorem quarto Scaeuelae ordinis adscribit, cum nec ille creditor istius debitoris sit, nec defuncti pecuniam adquirat, vid. THEOPH. ad tit. I. de success. sublat. Eius denique causa, qui bona sibi addici petierat libertatum seruandarum ergo, iustissima quidem videtur, quia heredis paene loco erat; sed, licet controvuersia sit inter viros doctos, utrum ii, quibus libertas data testamento codicilloque erat, additionem bonorum petere ipsi potuerint, an vero libero homine ad id opus fuerit; id certe constat, bona aliquando esse extraneis addita, et quis addici sibi ea passus fuisset, si sacrorum onus illis adhaereret? Scaeuelae prosector placitis nihil de eo fanciri potuit, et D. Marci temporibus non tanta erat in Romanis conseruandorum sacrorum industria, ut nouum ordinem eorum, qui sacris adstringerentur, excogitatum verosimile sit. Quod enim plerumque novo systemate Theologiae excogitato contingit, summa deos veneratione primum pie casteque coli, deinde cultum hunc a plebe potissimum atque fæcrotibus superstitione nimirumque caeremoniis pollui, ab aliis inde despici, mox negligi ab omnibus, id et Romanorum religioni accidisse notissimum est.

~~BAVARIAM AVGVSTINIANAM ET CICERO~~  
 CICERO de coemtione conueniendi in manum modo non loquitur c. 12. pro Mur. RAEVARDI, HOTOMANNI  
 et SICCAMAÆ sententiae examinantur. §. 6—8.

Itaque stabilito principio: nullam esse, praeter ordines a TVLLIO nobis seruatos, sacrorum successionem, iam variis de coemtione nostra sententiis examinandis nos

C

accin-

accingamus. Prima eorum est, qui coemtiones, quae siebant sacrorum interimendorum caussa, de modo conueniendi in manum intelligunt, in quam quomodo incidere potuerint, ego quidem nescio, cum senes ad has coemtiones faciendas reperti dicantur, qui nihil ad nuptias sacris legibus contrahendas. Sed tutores sunt, inquit MANVTIVS ad CIC. 7. ep. ad diuer. 29. quorum consensu ad conuentione in manum opus est, non solum, si paterfamilias hanc potestatem illis testamento concesserit, vt vult Manutius, sed semper iure legeque. Verum nec tutores coemtionem faciebant, sed mulieres, nec vnicce ad conuentione foeminarum in manus mariti reperti fuerunt sua autoritate firmandas; sub perpetua enim tutela feminas apud Romanos fuisse notissimum est. Repte etiam querit GRONOVIVS, quare omnes tutores senes esse oportuerit? et quomodo tutores eidem TVLLIO reperti dici possint ICtorum ingenio, quos e contrario genus tutorum inuenisse criminatur, qui mulierum potestate continerentur? Adde coemtionem esse exactuum legitimorum numero, quos a Patribus non a ICtis inuentos esse scimus, originemque suam, vti mihi certe videtur, legi decemurali debere: QVVM NEXVM FAXIT MANCIPIVM QVE VTI LINGVA NVNCVPAS-  
SIT, ITA IVS ESTO; SI INFICIAS IERIT DV-  
PLIONE DAMNATOR, qua lege omne quod per aes et libram gerebatur praesidio firmissimo munitum est. Itaque cum confarreatio nimis videretur molesta caeremoniis que plena, aes et libra a formularum cantoribus vti ad testamenta ita et ad nuptias iure legitimo contrahendas translata sunt, quod mox post LL. XII. TAB. latac introductam esse coemtionem verosimillimum facit, ergo ante.

antequam vllus erat ICtus, quorum primum fuisse Corun-  
canium ne nouos quidem Iustinianeos fugit. Neque vlo  
opus erat artificio ad sacra mulieris familiaria coemtione  
interimenda, quae omni conuentione in manum periisse  
praec. Spho euictum est. RAEVARDVS quidem sic rem  
exponit: „Hoc in loco (c. 12. pro Mur.) dubium non  
„est, quin per sacra confarreationem CICERO intellexe-  
„rit, quam introducta coemtione in desuetudinem sensim  
„abiuisse cum TAGITO contendit. Nam quod eo loco  
„de coemtione illa senserit, qua in manum solet conue-  
„niri, argumento sunt haec eiusdem CICERONIS verba  
„subsequentia: *Vt, quia in alicuius libris e. c. id nomen in-*  
„*uenerant, putarunt omnes mulieres, quae coemtione fa-*  
„*cerent, Caias vocari.* — — Non enim puto quen-  
„quam tam stolido hebetique ingenio esse, vt existimet  
„CICERONEM contendisse, ICtorum ingenio omnia  
„sacra esse interemta. Quod autem idem CICERO se-  
„nes repertos esse ad coemtiones faciendas ait, illud eo  
„referri debere, vt in coemtionibus, non iis solum, qui  
„bus in manum conuenitur, sed omnibus etiam, quibus  
„venale quid proscribitur, senes adhuc fuisse videantur,  
„aperte demonstrat M. CVRIVS CICERONI hunc in  
„modum scribens: *Ergo frustus est tuus, mancipium illius,*  
„*quod quidem, si inter senes coemtionales venale proscriptio-*  
„*rit, egerit non multum.*“ KERKRAAD simpliciter id  
non sequi perhibet, et eos, qui hac de re elucidari cu-  
piunt, ad GRONOVIVM delegat: et reuera fere alia  
haec sententia refutatione non eget, neutiquam enim in  
locis Ciceronianis patet, coemtione nostro loco eam  
intelligi, quae est conuentioonis in manum modus, quippe  
inter verba, quibus coemtionum, quae interimendorum

sacrorum causa fiant, mentionem iniicit, atque ea, in quibus de conuentionis in manum modo loquitur, interiacent verba: „In omni denique iure ciuili aequitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt,“ ex quibus liquido apparet, quae de coemtione atque Caia dicit ad priora non pertinere, sed exemplo sententiam hanc illustrari, quod ICti meris verbis inhaereant, ignorent mentem eorum. Praeterea confarreatio, quae vnico sacrificio nuptiali conficitur, recte sacrorum nomine appellari nequit, et quare sacra priuata interemta esse absonum sit, non docuit RAEVARDVS. CVR II denique epistola non probat ad omnes coemtiones faciendas senes esse adhibitos, cuius in emtionibus rerum vendendarum nulla caufa adest, et qui in coemtione vxorum inter Tolum maritum nubentemque peragenda intercedere omnino nequeunt; id solum ex CVR IO discimus, hominem nullius pretii senem coemtionalem conuicio dici.

## S. VII.

Hanc ergo sententiam cum iuri rituique Romanorum antiquo repugnare viderimus ad HOTOMANNVM conuertamur, qui antiquitatum lib. 2. „Dicamus, ait, senes orbos matrimonium per coemtioneem contraxisse, qua ratione accidebat, ut eorum vxores sacrorum sociae suaeque illis heredes essent. At haec simul atque alteri, nubebant, in eius sacra transibant: atque ita senis illius sacra interibant.“ Regerit contra haec GRONOIVS, quod hoc naturaliter absque ullo artificio acciderit interuenientibusque senibus non a ICtis inuentis, sed ab ipso testatore non diuersis, nec ficta, sed vera coemtione, quae

quae omnia CIGERONIS menti repugnant. Deinde et alia addit argumenta, sed ad persuadendum quam demonstrandum aptiora. Certe, quod coemtione hic effectum fingit HOTOMANNVS, caeteris pariter in manum conueniendi modis effici poterat, quibus vxor non minus quam coemtione sacrorum mariti particeps siebat, suis sacris amissis, quod non est inuentum ICtorum, non juris ciuilis artificium, sed e medio pontificum iure. Hoc quoque posito sacra senis ipsius interimebantur, quem tam CICERO repertum ait ad sacra coemtione interimenda, non ergo sua sed aliorum; nec coemtione a fete facta hoc efficiebatur, verum altera demum in manum conventione. Et quid si vxor aut ante senem maritum aut ante secundas nuptias vita excesserit? aut omnino secundas nuptias non contraxerit, ad quod iuris ex necessitate adeo non tenebatur, vt potius infensum secundis feminae nuptiis fuerit ius Romanum? Verum haec sententia non eget multa atque verbosa refutatione, per se concidens, neque sibi constat HOTOMANNVS, cuius haec sunt obseruat. de vet. nupt. rit. c. 25. verba: „Testator itaque cum nollet eum, ad quem eius pecunia perueniebat, sacris alligari, capularem senem — adhibebat familiare emtorem, a quo is, cui relista pecunia erat, post testatoris mortem stipularetur, vt haec pecunia non ex testamento, sed ex stipulatione deberetur.“ Haec quidem verba sola consideranti conuenire ex ase cum CONRADIANA sententia videntur, de qua infra dicendum; sed patet ex antecedentibus subsequentibusque HOTOMANNVM non rite perspexisse formam atque aetatem testamenti per aes et libram scripti. Etenim, paucis post verba citata interiectis „et ita, inquit, siebat, vt herede

C 3

„illo

„illo sene coemtionali mortuo etiam sacra interirent,“ adeoque eum heredem dicit, quem paullo ante familiae emtorem nominauerat, verbaque PLVTARCHI de ser. num. vind. Ρομαιοι ὅταν διαθηκας γραφσοιν, ἐτεροι μεν ἀπολυτεσσι κλυρονομουσ, ἐτεροι δεπαλεσσι τας εσιας, aut de media iurisprudentia intelligenda censet, aut diuersa testamentorum genera notare (quandoque enim heredes instituisse Romanos, quandoque tantum familiae emtores) aut improprię κλυρονομεσ etiam legatarios dictos esse. Quibus rite perpensis, duplex inde erui potest HOTOMANNI mens; scilicet, quod inter testamentum per aes et libram scriptum atque nuncupatiuum id tantum discriminis statuerit, vt quod testator in hoc viau voce heredi iniunxerit: *Titio volo dari fundum, Maeuio C.* idem in illo tabulis mandaret; certe aliquid familiae emtorem iuris vtroque testamento sibi familiae emancipatione in defuncti bona adquisiuisse et quasi cohaeredem fuisse existimat. Quae quam falsa sint, satis ostendit THEOPHILI de testamentorum historia atque vicissitudine narratio, nec est, cur illa refutem; sic enim familiae emtor non fuisset imaginarius, nec consultum esset testatoribus per testamentum per aes et libram scriptum, si heredipetarum metuerent insidias; nam, herede licet se institutum ignorante, familiae tamen emtor ex morte testatoris lucrum sibi imminere sciebat. Altera vero, quae proprius ad veritatem accedere videtur coniectura, haec est, vt ei, ad quem sine sacrorum onere lucrum peruenire cupiebat testator, in testamento per aes et libram nuncupatiuo legari voluerit HOTOMANNVS, eumque illo, quem TULLIVS l. 2. de LL. c. 21. tradidit, modo sacris liberari. Verum vt taceam, non de eadem sacra interimendi ratione nostro

nostro atque modo citato loco sensisse CICERONEM,  
quod infra probabimus, tanta tunc bonorum pars relin-  
quenda erat familiae emtori eidemque heredi, quanta ad  
legatarium peruenire debebat, qua locupletatus ille here-  
dibus non caruisset, adeoque non interemta essent sacra  
familiae mancipatione in eum translata. Legandi enim  
facultas SCAEVOLARVM aetate, quos primos ciuili iure  
ius pontificium evertisse TULLIUS docet, latam iamiam  
VOCONIA LEGE erat circumscripta. Quod vero  
maximum est, hocce artificium inuentis usque ab  
omnibus celebratis testamentis per aes et libram scriptis  
totum concidisset; nec attigisset TULLII tempora.  
Quaecunque ergo mens HOTOMANNI verbis tribuenda  
sit, antiquorum temporum monumentis repugnat, quibus  
cum ne CONRADIANAM sententiam conuenire qui-  
dem videbimus.

### §. VIII.

Obscurius ipso HOTOMANNO sententiam suam  
explicauit SICCAMA, qui quasi e longinquō tantum quid  
velit his verbis indigicat: „Hinc MODESTINVS in L. I.  
„¶. de rit. nupt. nuptias definit juris humani et diuini  
„communicationem. Etenim feminae in familiam et sacra  
„mariti transibant. Ea sacra perpetuo apud familiam ma-  
„nebant: Vnde praeclare CIC pro Mur. Nam cum per-  
„multa praeclare legibus essent constituta, ea ICtorum inge-  
„niis pleraque corrupta atque depravata sunt. — Sacra in-  
„terire illi noluerunt: horum ingenio fenes ad coemtiones  
„faciendas, sacrorum interimendorum cassa, reperti  
„sunt. Nam cum fenes obirent, sacra simul interibant, et  
„ad

„ad agnatos solos pertinebant.“ Coniicit igitur GRV-PEN hanc esse SICCAMAЕ sententiam, vt sene marito decedente cessare sacrorum cum vxore communionem, maritique sacra ad solos, agnatos pertinere, liberari omni religione vxorem putaret; eique duo opponit argumenta, 1) nempe eam; quae tantum vxor est, non in vera communione sacrorum viri esse, nec in familiam mariti transire. Sed quid hoc ad rem? cum si ista esset SICCAMAЕ sententia, vxorem in viri manum coemtione conuenisse contendere deberet, vt aliqua adesset coemptio sacra interimens. 2) Sacra vxoris coemtione non intercidisse, quod tamen pluribus iam a nobis refutatum fuit. Longe vero maiora oriuntur dubia; matresfamilias scilicet filiae loco erat marito, et ideo sacris mariti et post eius obitum adstringebatur, licet secundum antiquam illimitatam testandi facultatem ne obolum quidem ex eius hereditate ceperisset. Quamuis autem haec omnia ex mente SICCAMAЕ procederent, id tamen absque yllo artificio natura-liter eueniaret, nec coemtione sola, sed omni in manum conuentione efficeretur, quare non coemtio sed in manum conuentio, quae sacrorum interimendorum caussa sit; dicendum esset. Sed sufficiant haec ad proligandas eorum fabulas, qui de conuentione in manum hic agi singunt.

### §. IX.

*Sacra iam adquisita interimi nequeunt, nec quisquam praeter heredem legatariumque illis solui potest. ARNOLDI, ALCIATI et GRONOVI sententiae refutatae.*

### §. 9—II.

Prius vero quam ad eos transeamus, qui sacra quo-uis modo adquisita coemtione, quae sacrorum interimendorum

dorum caussa fiebat, interemta putant, videamus: an sacris iam adquisitis liberari detur? et utrum omnes, quos Cicero religione teneri docet, solvi ea potuerint? Bene quidem atque praecclare primus illud in herede vidit docuitque Clar. CONRADI, quod adquisita hereditate nullo vnuquam inuento heredis personam citra restitutionem in integrum exuere licuerit, adeoque facienda esset sacrorum interimendorum caussa coemtio, antequam ei bona adquisita sint, cui illa destinauerat testator. Sed idem de ceteris omnibus, quotquot sacris adstringuntur, valet; quippe qui legati partiarii nomine tantum, quantum ad heredes peruenierit, actu cepit, nec callidissimo artificio, quin legatarius videretur partiarius eoque nomine sacrorum tenetur religione, efficere poterat. Eadem est in bonorum possesso ratio, eadem in creditore, qui, concursu creditorum post mortem defuncti moto, plurimum seruauit, eadem denique in debitore, qui nemini soluerit, quia nec heres existebat, nec concursus creditorum exoriretur. Itaque, ut appareat, quinam potuerint liberari sacris? dispiendam est, quibusnam, antequam bona, quibus alligata erant sacra, ad ipsos peruenirent, callido quodam artificio subueniri potuerit, ne eo titulo, cui sacrorum obligatio adhaerebat, illa cepisse videantur? quo rite solidique examinato apparebit, solum heredem atque legatarium tali beneficio gaudere. Etenim heredem ideo teneri sacris vidiimus, quia proxime ad defuncti accedit personam, eiusque familiam nanciscitur; ergo in huius commodum id efficiendum erat, ut videretur alia persona defuncto quam heres propior esse, in quam inane sine bonis familie nomen transferretur, qualis erat emtor familie imaginarius. Legatario autem vel dimidia hereditatis pars

D

lega-

legabatur deductis centum, vel ipse aliquod legatum repudiabat, ne tantum, quantum heredes caperet, vel deinde soluebat heredem obligatione ex testamento legatum sibi praestandi tantundem ab eo stipulatus, ne illud ex bonis defunsti testatoris, sed ex bonis heredis cepisse videretur. At bonorum possessio sine agnitione nulla est, qua facta bonorum possessor absque restituzione in integrum, qua simul bona ipsa amittit, obligationibus hisce bonis alligatis, ergo et onere sacrorum, solvi non potest, nec sine molesta illa appendice pecuniam lucrari. Simili ratione in creditorum concursu, qui plurimum seruauerat, quam primum debitum petierat, nomenque professus erat inter creditores concurrentes, ne iura quidem sua cedendo efficiebat, ut ne plurimum seruasse videretur; qui enim iura sua cedit, ea habuisse fatetur, nec obligationem sacrorum simul in alterum transferre potest, quia de publico iuro statuere suo arbitratu non licet priuato cuiquam. Eadem omnia et in eo obtinent, qui nemini soluit pecuniam, quam debuerat defuncto; lucrum ergo in tribus posterioribus ordinibus ab onere secerni non poterat vlo prudentum inuento. Quare omnes mirifice falluntur, qui cunque coemtionem sacrorum interimendorum causa in gratiam aliorum factam censem praeter heredes legatariosque. Singulorum tamen diversas sententias examinemus, quippe quae praeter hoc aliis quoque vitiis laborant.

§. X.

Inter eos, qui coemtionis nostrae vires nimis late diffundunt, primatum tenet CL. D' ARNAUD, qui sacris tot diuersis titulis in una persona cumulatis, ut eorum onus ferri

ferri nequeat, haec omnia simul vna coemtione ad id instituta extingueret; ait enim: „Is, cuius sacra multis modis adquirendi, in quibus pontifices pecuniae sacra aligauerunt, in immennum aucta erant, ut eorum onere liberaretur, pauperem vilissimumque senecionem adhibebat. — Huic silcernio bona sua omnia cum sacrī, uno asse, dicas causa, accepto, mancipabat, interposito fiduciae pacto, de bonis iisdem protinus sine sacrī remancipandis. Ita senex sacra retinebat, et bona ad priorem dominum onere illo liberata reuertebantur. — Eadem, qua dixi, ratione poterat is, ad quem sacra aliena testamento peruerterant, illis liberari, hereditatem illam cum sacrī mancipando.“ His autem Viri Clar. fictionibus quatuor potissimum rationes ex liquidis iuris Romani principiis deductas opponit CONRADI, scilicet 1) omnium bonorum mancipationem praeter caussam testamenti per aes et libram esse inauditam restituit; non enim antiqua Romanorum instituta per talem actum explicanda sunt, quali omnino vfos esse veteres demonstrari nequit, sed si potissimum aës, qui plurimum usu frequentabantur, huic explicationi sunt adhibendi. 2) Pactum fiduciae nullam continere nouationem eo probat, quod in eius formula erat: HANC REM MANCVPO, VT EAM REMANCVPES, ac proinde bona remancipata onus sacrorum huic pecuniae adiunctum iterum sequetur. 3) Stipulationem, vt pecunia sine sacrī restituatur, fuisse inutilem, quippe iuri publico contrariam L. I. §. 2. D. de I. et I. et 4) heredem non posse desinere esse heredem, si semel heres factus fuerit, eiusque caussam in sacrī defuncti obeundis iustissimam TULLIO teste esse docet. Accedit, quod supra demonstratum dedimus, in

D 2

nulla

nulla adquisitione inter viuos, licet vniuersali, sacra se-  
 qui pecuniam, quia sacrorum obligatio semel adquisita  
 alienari nullo modo potest sine capit is minutione, adeo-  
 que nec efficitur omnium bonorum mancipazione, vt sa-  
 cra simul in adquirentem transeant, quod argumentum et  
 contra ALCIATVM facit, qui, „vt fraudem, inquit,  
 „legi facerent; inuenerunt illi (scil. ICti) tale remedium,  
 „vt ea bona, quae sacris obnoxia erant, venumdarentur  
 „seni alicui et cito morituro, quod scilicet ea obligatio,  
 „licet in successorem particularem transiret, tamen in pri-  
 „mum duntaxat transibat, sicut et pleraque alia hodie  
 „sunt, quae in primum heredem solum transeunt, ad ul-  
 „teriores non extenduntur *L. sciendum de V. S.*“ Sed  
 argumentum ex *L. 70. pr. D. de V. S.* plane incongruum  
 esse, iure meritoque contendit GRVPEN. ait ibi PAV-  
 LVS: paucis speciebus heredis appellatione proximum  
 contineri, veluti in substitutione impuberis, in lege AE-  
 LIA SENTIA et operarum exactione, idque siue ex  
 sententia legis, siue ex voluntate testatoris. Certissimum  
 ergo est, heredis appellationem tantum per modum ex-  
 ceptionis aliquando proximum solum continere; igitur  
 probanda est exceptio, si ita accipi debet in illo pontifi-  
 cum placito, quod sacris heredem adstringit. Sed con-  
 trarium potius est evidens; si enim sacra ad proximum he-  
 redem solum transiissent, nemo ciuis Romanus sacrorum  
 onere obrui poterat, quod cum remotissimos quosque he-  
 redes sequeretur, quavis successione grauius siebat. Sa-  
 cra ergo in senem cum bonis, reuera, non imaginarie  
 venditis, translata, secundum ALCIATI nostri senten-  
 tiam, (modo sacra vllum successorem particularem seque-  
 rentur, quod iam superioribus negare debui) ad heredes  
 quoque

quoque senis, hac coemtione minime extincta, peruenient. Denique quibus argumentis evinci possit, certis tantum bonis sacra adhaesisse, scire velim, cum ea pecuniae in vniuersum pontifices adiunixerint; hanc enim ALCIATO sententiam fuisse patet, cum senem pro successore particulari habeat.

§. XI,

Claudant agmen hocce GRONOVII figmenta, diu per orbem litteratum Pythici instar responsi vulgi stupore celebrata. „Subornabat, inquit, heres hominem senem, „tanquam grauiorem autorem: (interest enim non nunquam a sene potius aliquid fieri, quam a iuuene M O- „D E S T. L. 15. de fideic. libert.) ei, vt in legitima mancipacione, aduocato libripende ac testibus, vendebat hereditatem, non vt heredi, nec pro herede, vt testator familiae emtori, sed vt possessori alieno. Senex dato dicens caufsa nummo festertio eam coemebat, et non se- „cus ac sectionis emtor et possessor liberam eam, nullis „adstrictus sacris, suam faciebat: postea res in stipulatum deducebatur, et emtor ac dominus fiduciarius stipulato heredi quasi ex sponso eandem tradebat; communi iure, quo nihil tam naturali aequitati conueniens esse sancitur, quam voluntatem domini rem suam in aliud transferre volentis ratam haberi. Sic extinguebatur nomen hereditis et hereditatis, et sic etiam sacrorum hereditati adnexorum, et lucrociore titulo possidebat, qui grauiore prius, vt heres, possederat.“ Illustrat hoc Vir. Doct. emancipationis liberorum pariter atque imaginariae venditionis, sub qua donatio latebat, exemplis, in quo tamen

D 3

errauit;

errauit; venditio enim si tota donationis cauſa nummo forſan uno facta eſſet, inualida erat per *L. 38. D. de contr. emt.* ſi autem mancipationem rerum donatarum intelligit, ſub ea non latebat donatio, ſed iuriſ ex neceſſitate ad dominiū rei mancipi donatae transferendum requirebatur. *Loca quoque TVLLII addit ex l. 2. de LL. c. 20. et 21.* vbi modum narrat legatarios ſacris adſtrictos nouatione inſtituta illis liberandi, additque, quod haec ſacrorum interimendorum methodus poſſit „poſt quoduis teſtamentum, „et in hereditate etiam in teſtati, atque adeo in quinque „illis generibus, quae Scaeula facit eorum, qui ſacris al-„ligarentur, adhiberi,“ quia ſcilicet hanc coemtionem diuerſiſſimam a mancipatione familiae et poſt aditam demum hereditatem adhibitam arbitratuſ. In haec magiſtri verba inter vulgus litteratum iurauunt Viri quoque Clar. **GRAEVIVS** atque **SCHWARTZ**, quorum ille recte démon-ſtraſſe **GRONOVIVM** putat, per aēs et libram non fuſſe modum ſacra interimendi, quod nunquam ei in mentem venit, niſi ſcribere forſan **GRAEVIVS** voluerit: teſtamen- tum per aēs et libram; ſed et hanc ſententiam nullo pro- babilis argumen- to **GRONOVIVS** conſirmauit. Ill. autem **SCHWARTZ** veriſimiliſſimum putat, vt aliarum rerum alienationem iurisque ſolutionem per aēs et libram factam ſcimus, ita et alienationem et peremtionem ſacrorum hoc modo eſſe celebra- tam; quaſi omnis omnino res per man- cipationem fuerit alienata, ſacrae eſſent alienationi obno- xia atque in commercio poſita; nam alienatio ſacrorum apud **CIC. Orat. c. 42.** longe alio laxiorique ſignificatu dicitur pro liberatione a ſacris, quam quo res alienari di- cimus, et eum tantum in finem a **TVLLO** adhibetur, ut ſtrictius opponatur τῷ retinere et defendere ſacra. Latiuſ deinde

deinde exponit Vir doct. adducta a GRONOVIO coemtione  
num factarum exempla, additque causam, cur sacra  
perimi et interimi dicantur, quod explicat iure tollere,  
et evenerias causa dictum contendit. Est vero perime  
atque interimere proprie idem, ac efficere, vt emtione  
interposita res existere definit, quod vero deinceps ad alios  
rerum sine emtione interitus transfertur; hanc enim vim  
praepositiones per et inter verbis, quibus praefiguntur,  
aliquando addere verba perire atque interfiri probant.  
GRONOVIANAM sententiam gradu, quem diu supre  
num obtinuerat, primus mouere studuit GYPEN tri  
bus potissimum argumentis illam aggressus; ancipitem sci  
licet 1) esse GRONOVI coniecturam, hanc coemtio  
nem omnibus quinque classibus esse applicatam, necide. g,  
in eo, qui plurimum vslcepisset, aut ex creditoribus plu  
rimum seruasset, fieri potuisse. Quod verum quidem est,  
sed altiori nititur fundamento; si enim is, qui facrorum  
obligationem cum pecunia iam in se receperat, illa iterum  
solvi potuisse, haec GRONOVI sacra interimendi me  
thodus cuiilibet ordini aequo iure applicaretur. 2) Senem  
coemtionalem prodgere GRONOVIVM, cui heres here  
ditatem vendiderit, non vt heredi, nec pro herede, vt  
testator familie emtori, sed vt possessori alieno: Verum  
nec testatorem familie emtori familiam mancipasse vt he  
redi, (intelligit hoc de testamento per aes et libram scri  
pto, nam in nuncupatio aliud omnino dicendum) viuentis  
enim nullam esse hereditatem, et tamen negasse GRON  
OVIUM, familie emtorem heredem sacris soluisse. Sed  
hac apparenti contradictione liberandae sunt GRONOVI  
manes, qui dixerat: non vt heredi nec pro herede; prius  
sieberat in testamento per aes et libram nuncupatio, et in te  
stamento

stamento per aes et libram scripto testator familiam emtori  
mancipabat pro herede i. e. loco heredis. 3) Notat  
**G R O N O V I V M**, quod senem, cui testator hereditatem  
mancipio dabant, bonorum emptori comparauerit, cum ea,  
quae sub corona aut in auctione sectioneue emerentur, non  
mancipio sed suo periculo acciperet emtor **G E L L.** 7, 4.  
**P L A V T.** *Perf.* 4, 3. 55. sed si talia ex iuris ignorantia  
orta in **G R O N O V I O** vituperanda sunt, licet ad rem ipsam  
non pertinerent, plura grauioraque longe sphalmata no-  
tanda veniunt. Labantem iam hancce opinionem perse-  
quitur **C l a r.** **D' A R N A U D**, vrgetque nihil primo opus  
fuisse sene, re hoc modo peracta, opium enim cuiusuis  
aetatis ciuum, modo maiorum, in actu quolibet ciuili ae-  
qualem eandemque esse autoritatem, nec legem cit. hic  
pertinere, sed ad manumissionem restrictam esse, quia a  
sene manumissus illius morte propinquiore citius opera-  
rum officialium obligatione soluitur. Deinde, si heres  
vendiderit hereditatem iam adquisitam, ergo sacris iam  
suscepitis, vel id factum esse retentis sacris, vel cum ipsa  
hereditate in senem translatis; posterius negare **G R O N O-**  
**V I V M**, ergo prius obtinere, et nihil hac venditione  
egisse heredem, in quibus omnibus assentienti socioque  
vtitur **T R E K E L L I O**, qui haec fere ex illo descripsisse vi-  
detur. Nihil sane effici illa venditione poterat; nam ius  
sacrorum ad iura Quiritium publica pertinens secundum li-  
quida iuris Romani principia obiectum pactionis priuatae  
nunquam constituebat; quare nec sacra alienari poterant,  
nec alia ratione amittebantur, nisi morte, aut cum statu  
ciuili ipso capitis deminutione, aut denique in integrum  
restitutione. Hoc non animaduertens **G R O N O V I V S**,  
qui iuris principiis non adiutus in omni antiquitatis expli-  
catione

catione pulcre allucinatus est, rem ita voluit peragi, vt  
heres, aut quicunque cum bonis sacra cepisset, ea bona  
venderet, qua ratione effici putauit, ne, cum bonis ad-  
iuncta essent sacra, qui ea vendiderit, illis amplius ad-  
stringeretur, et, qui emerit, acciperet sacris libera, quia  
emtor non est inter illos quinque ordines a S C A E V O L A  
positus. Sed sacra non bonis solis verum titulo quoque  
et modo adquirendi adhaerebant; adeoque bonis licet alien-  
natis non transibant in adquirentem, nisi hic eo titulo  
bona adeptus fuerit, cui adiungi sacra pontifices volebant,  
qualis non est emtio venditio. „Videtur, pergit D' A R-  
„N A U D, ὅπαν existimasse, eo ipso, quod heres seni  
„mancipauerit et ex stipulatu hereditatem receperit, sacris  
„liberatum fuisse. Quo fundamento, nescio, nisi sacra  
„cum bonis mancipata essent; atque speciatim in stipula-  
„tionem venisset, de non restituendis sacris.“ Verum  
enim vero et illa lex mancipationi adiecta, et haec stipu-  
latio omni valore definita fuisse, vtpote publico iuri re-  
pugnans. Tandem id in G R O N O V I O reprehendit Vir  
Clar., eum mancipatione dicis caussa peracta demum sti-  
pulationem interponi voluisse, cum senex, bonis manci-  
patis, ad ineundum fiduciae pactum nullo iure cogi po-  
tuerit. Sed hoc est ex iuris praeceptis, in quae a G R O-  
N O V I O peccari nouum non est, qui ingenio abuti in le-  
gitimae scientiae detrimentum consuevit. Rem denique  
omnem, quam agressi erant priores, confecit, moutque  
statu G R O N O V I M III. C O N R A D I, cum probaret 1)  
pacto fiduciae et remanicipatione rem in eodem, quo ante  
fuerat, statu ad priorem dominum redire, ergo illius  
beneficio sacra ab hereditate sejungi non posse, sed cum  
illa semper reuerti, 2) et eum qui semel heres factus est,

E

vendi-

venditione hereditatis aut etiam bonorum hereditariorum non posse deponere personam heredis *L. 7. §. 10. D. de minor. L. 88. D. de hered. inst.*, haeredi vero sacra adhaesisse. Quod posterius argumentum totidem fere verbis profert TREKELL, quare vix me contineo, quin prioribus argumentis ARNOLDIANIS iam suspectum hic plagi patrati reum faciam. Vnicum Clar. TREKELLII argumentum aduersus GRONOVIVM examinandum restat, non potuisse nempe familiam sive vniuersitatem bonorum, qualis est hereditas, mancipari praeter testamenti per aes et libram cauissimam, quia vniuersitas bonorum, tam mancipi quam nec mancipi res continens, non sit res mancipi, quod scilicet nomen ad singulas tantum res pertinet, nec ullum familiae mancipatae exemplum exstare, aut a testamento per aes et libram peti posse, in quo mancipatio tantum imaginaria obueniret, quam ne dominium quidem legitimum transtulisse inde pateat, quod heredi testamentario ante aditionem hereditatis ius suum teste VLPIANO fragm. XIX, 12, in iure cedere non licuerit. Licet vero non exstare praeter testamentum per aes et libram familiae mancipatae exemplum iam monuerimus, huius tamen testamenti forma eam mancipari potuisse omnino docet, non obstante quod VLPIANVS fragm. tit. 19. §. 6. ait, non plures res, quam simul capi possunt, una mancipari debere; id enim de rebus, quae tangi manuque apprehendi possunt, adeoque de vniuersitate rerum, non vero de vniuersitate iurum, qualis familia, constitutum esse, ipsa VLPIANI verba docent. Deinde nec imaginaria fuit mancipatio in testamento per aes et libram obueniens, et dominium quiritarium tribuit; ignorat enim ius Romanum mancipationem dominium legitimum

mum non transferentem. Antiquissimo quippe iure familiae mancipatio dominium optimo iure in emtorem eundemque heredem transferebat in euentum mortis testatoris, reuocabile tamen, et sub conditione suspensiua, nisi testator ante obitum voluntatem suam mutatam declaraverit, ut hodiernum in donationibus sit, quae mortis causa celebrantur; postquam vero heres a familiae emtore iam ante CICERONIS tempora distingui coepit, neque heres ante aditionem dominium quiritarium habebat, quia consensus ipsius in eius translationem non acceperat, nec mancipatione inscio inuitoque adquiritur, neque familiae emtor, quia lege mancipationi adiecta statuebatur, bona in eum transferri, cuius nomen in tabulis obsignatis scriptum erat; formula: VTI IN HIS TABVLIS SCRIP-  
PTVM EST, ITA TESTOR. Minime tamen et hic inutilis erat mancipatio, sine qua heredi aditione non nisi bonitarium dominium rerum mancipi sub familia comprehensarum adquisitum fuisset. Quod vero ad discriumen verae atque imaginariae mancipationis attinet, imaginaria mancipatio ab imaginaria emtione venditione, quae in quauis mancipatione obueniebat, distinguenda est; non enim pretium vere appendebatur in mancipatione, sed libra nummo uno percussa signo erat, ius aliquod in ea re alteri esse concessum, quod inde ortum putarim, quia excusso numo recedenteque ab vsu permutatione multis ambagibus incommoda emtio venditio, praeter caeteros transferendi dominii modos rebus mancipi et nec mancipi communibus, maxime fuerit frequentata, et in qua sola ad constituendum ius legitimum mancipatione opus erat, quae non requirebatur in cessione in iure, in emtione sub corona, caeteris. Mancipatio autem non contractus, sed

E 2

tra-

traditionis vestitae species erat, et ea quidem rebus mancipi propria, quod et ipsa mancipationis, i. e. apprehensionis per manum, vox docer, et aequalis traditionis et mancipationis effectus, translatio scilicet dominii. Idem comprobat, quod leges Romanorum, quae antiquitus ad plenam donationis validitatem traditionem in rebus nec mancipi requirebant, in mancipi rebus mancipationem exigerent. Haec mancipatio vel fiebat ad dominium rerum mancipandarum perpetuum transferendum, vel ad alios quosdam effectus obtinendos, praeter translationem dominii, quos legum ciuilium sanctiones cum illarum rotum mancipatione coniunxerant; illo in casu *vera*, hoc autem *imaginaria* erat *mancipatio*, ad quam ergo stipulatione de rebus mancipatis illico mancipanti restituendis ante interponenda opus erat, et haec ab antiquissimis reipublicae temporibus *patti fiduciae* nomine celebrata fuit. Quae tamen omnia non efficiunt, ut **CONRADI** faueam sententiae, qui in *tib. de veris manc. et nec manc. rer. differ.* familiam atque ius successionis rem mancipi esse contendit, quia 1) vniuersitas rerum diuersi generis eo, quo res potiores, ea comprehensae, iure censetur, 2) priscis temporibus, que in patrimonio Quiritium erant, res mancipi fuerunt; vnde et a seruis, pecude et herili dominio familie, pecuniae et hereditatis voces ductae sunt, et denique 3) quia familia mancipio dari poterat. Licet vero prior ratio omnino veritate nitatur, non tamen sequitur familiam fuisse rem mancipi, quod de complexu plurium rerum nunquam dici potest. Itaque nihil ex hoc arguento concludi potest, nisi familiam alienari potuisse et proprie alienatam esse mancipatione, quia potiores res illa contentae sic alienandae erant, licet ipsa rebus mancipi ad-

adnumerari nequeat. Quo simul tertium argumentum profligatur; quoad secundum vero, falsum omnino est, omnia, quae primis reipublicae temporibus in patrimonio Quiritium erant, res mancipi fuisse. Quantumcunque curta enim priscis Romanis supellex fuerit; non instrumentis tamen rei agrariae atque domesticae, armisque nec quibus quidem omnino caruerunt, quod multae primaeuae ratio demonstrat, eaque omnia res erant nec mancipi. Quare patet, res in priscorum Romanorum patrimonio constitutas pretiosissimas tantum et, quae maximum usum praestabant, mancipi dicendas esse. Sed iam ex hocce diuerticulo in viam redeamus, et ad eorum sententias progrediamur, qui non omnes, at eos tamen sacris ob pecuniae acquisitionem adstrictos hoc onere liberari voluerunt; in quibus id fieri non potuisse vidimus.

### §. XII.

#### *MANVTII sententia refutatur.*

Princeps inter illos est PAVLVS MANVTIVS, qui tanta fuit liberalitate, ut et viro, qui nunquam feminae sui iuris in ipsis manum conuenientis sacra suscipere tenebatur, succurrere voluerit. Verba eius *ad c. 12. CIC. pro Mur.* haec sunt: „senes coemerent ea bona, „quae qui haberent sacris adstringerentur; ii vero senes „cum interirent, sacra simul interibant. — Coemtio au- „tem aetio illa tota dicebatur, cum, senibus illis eam „partem bonorum, quae sacris obnoxia esset, coementi- „bus, reliqua omnia mulieris in mariti potestatem dotis „nomine transibant.“ Cuius sententiae aliquod funda-

E 3

mentum

mentum in eo sibi reperisse videtur, quod, vt ad c. c. 7.  
 ep. ad diuers. 29. notauit, „aliud est coemere, aliud coem-  
 „tionem facere. coemere notam habet significationem:  
 „coemtionem facere est, cum mulier in manum viri con-  
 „uenit solemni quadam stipulatione, qua se inuicem coe-  
 „mebant. quo facto, sibi inuicem succedebant: vt etiam  
 „domestica sacra mulierum tamen, non virorum inter-  
 „irent“ Hocce argumentum refellere, veterumque lo-  
 cis probare conatur GRVPEN, quod coemere atque  
 coemtionem facere idem plane significatum habeat. Nos  
 quidem in eo assentimur GRVPENIO, quod, qui coem-  
 tionem fecerunt, iidem se coemisse dicantur, et coem-  
 tionem facere de conuentione in manum accipi vbiique  
 haud possit: sed quod is, qui res coemit, coemtionem  
 fecisse recte dicatur, nobis persuadere non possumus, cu-  
 ius locutionis apud probatos autores nullum exstat exem-  
 plum, pariter ac CICERONEM de Orat. I. 56. vbi mu-  
 lierum, quae coemtionem certis verbis fecerint, et c. 12.  
 pro Mur. vbi mulierum, quae coemtionem fecissent et  
 Caiae vocarentur, meminit, non esse de conuentione in  
 manum locutum; vterque enim locus et explicari potest  
 de illa coemtionis specie, et debet, cum alterius coem-  
 tionis a mulieribus factae exemplo destituimus. Omnis  
 harum vocum differentia, quam vidit quidem MANV-  
 TIVS, sed non curate fatis distinxit; huc redire videtur,  
 quod coemendi verbum generale sit, coemtionem facere  
 vero is proprie dicatur, qui imaginariam coemtionem di-  
 cis caussa celebravit, quod idem est ac quasi coemere,  
 quasi coemtionem facere. Coemisse vero coniuges se in-  
 uicem recte dicuntur, licet imaginaria coemtione, quia  
 maritus inde patriam potestatem dominiumque legitimum  
 in

in vxorem adquirebat. Grauiora sunt, quae **GRONOVIVS** **MANVTIO** opponit, sicutum nempe ab eo genus esse honorum sacris obnoxiorum, et fenes coemisse illa bona, quae qui haberet sacris adstringeretur, quod ut alii cubi contigisse possit videri, ita plurimum sacra fuisse totius hereditatis. Verum enim vero non plerumque sed semper vnuerstati bonorum adhaerebant, iisque solis, qui huius vnuerstatis participes siebant, quod ad **ALCIATI** quoque sententiam notatum fuit, qui eiusdem cum **MANVTIO** vitii reum se dedit. Plus itaque iusto hoc in capite concesserat **GRONOVIVS**. Senibus deinde bona, quae onerata sunt sacris, concedendo fraudari monet heredem, neque enim tam profusos in religionem fuisse, vt bona illa, quibus sacra adhaerebant, et ea, quorum fructibus siebat impensa, sumptu essent minora. Sed videtur id voluisse **MANVTIVS**, cuius mentem non affectus est, vt ea bona non gratuito titulo in fenes illos transferrentur, verum illis venderentur, minori forte pretio. Quo tamen posito, fenes oportebat non omni patrimonio esse destitutos: verum sic facile eueniebat, vt aliquis illis heres existeret, nec sacra in illos translata morte eorum extinguerentur. Obiicit porro Vir Clar. **MANVTIO**, speciem illum fingere nimis angustam, neque heredem pati nisi vxorem et orbos, aut certe filiam vnicam. At de herede altum est **MANVTIO** silentium; etenim maritum sacris foeminae sui iuris in manum ipsius conuenientis per coemtionem iure pontificio adstrictum, et hocce artificio, ab ipsa quidem in manum conuentione distinto, sed eius occasione exhibito liberatum fuisse contendit, huncque duplarem actum coemtionis nomine venire. Quae denique monet Vir Cel., vxoribus in manum

con-

conuenientibus (aut potius earum maritis, ne ad sacra suscipienda obligentur) nullo opus fuisse peritorum iuris ingenio, nec locorum esse inuentum, quod sub tutoribus mulieres essent, quos CICERO potius tutorum genera inuenisse criminetur, quae potestate mulierum continerentur; ea superioribus confirmata corroborataque fuerunt. Addamus et hoc, coemtionem non posse duplēcē illum actum significare, quem sub ea MANVTIVS intelligit; coemtionem enim paullo post LEGES XII. TAB. latae inuulsiſſe, adeoque diu ante coemtionem ad sacra interimenda a SCAEVOLIS excogitatum, notissimum est. Ipsa quoque phraseos: *coemtionem facere*, quam supra stabiliuimus, significatio, non de vera, sed de imaginaria coemtione locutum esse CICERONEM probat.

### §. XIII.

*Sententiae eorum profligantur, qui coemtionem nostram ad alios omnes sacris adstriclos pertinere existimant, praeter heredes, et quidem ZENOBII PERILLII, CAME-*

*RARII et BALDVINI. §. 13. et 14.*

Iam ad eos deuentum est, qui alios praeter heredes ex quinque illis ordinibus eorum, qui sacra pontificum placito suscipere tenebantur, hocce onere coemtione liberatos arbitrati sunt. Et quidem ZENOBII PERILLII sententia, *vti in den Göttingischen Anzeigen de anno 1757. pag. 1270. et 71. ex ipsius animaduerſionibus iuridicis ad CICERONIS orationem pro L. Muraena excerpta exstat,* haec est: „Cicerō berichtet, wenn niemand die Erbschaft „hätte haben wollen; sey der stärkste Gläubiger des Verstorbenen

„storbenen zu Fortsetzung der Familienceremonien verbunden  
 „gewesen. Die Rechtsgelehrten, welche ihren Witz zum  
 „Vortheile derer, die Vermächtnisse bekommen sollten, so  
 „geübt hatten, ließen vermutlich die Gläubiger nicht hilf-  
 „los. Vielleicht erinnerten sie also den Gläubiger, seine  
 „Ansprüche einem dritten zu verkaufen, mit der Abrede,  
 „dass alles dem Verkäufer wieder gegeben würde, was der  
 „Käufer aus des Verstorbenen Gütern bekäme. Dadurch  
 „war freylich der Käufer, wenn er das meiste aus des Ver-  
 „storbenen Gütern erhielt, zur Fortsetzung der Familiien-  
 „ceremonien verbunden; aber er überlieferte solches dem  
 „Verkäufer ohne solche Verbindlichkeit wieder, denn da  
 „sich der Verkäufer von allen seinen Ansprüchen an den  
 „Verstorbenen losgesagt hatte, so war das, was er bekam,  
 „nicht als etwas, das von dem Verstorbenen herrührte, an-  
 „zusehen. Wählte man nun zu Kaufern dürftige Alte,  
 „so giengen die Familienceremonien, zu denen sie vorerwähn-  
 „termassen verbunden wurden, mit ihrem Tode bald unter.“

Plura sunt, quae in hac coemtionis interimendorum sacro-  
 rum caufa celebratae explicatione recte reprehenderes; et  
 primo quidem CICERO non eum, cui plurimum debeba-  
 tur, et quem secundum communem loquendi vsum Ger-  
 mani den staerksten Glaubiger dicere solent, verum eum  
 sacris adstrictum fuisse trudit, qui plurimum seruauerit.  
 Deinde contra veri similitudinem pugnat, succurriffe  
 ICtos creditoribus plurimum seruantibus, heredibus auxi-  
 lium nullum tulisse, quum certissimum sit, saepius here-  
 des relinquere testamentarios defunctum, quam concur-  
 sum creditorem post eius mortem moueri. Quis autem  
 facrorum in se recepisset onus, si omnia, quaecunque de-  
 biti pars seruata fuerit, restituenda fuissent? Satius ergo  
 F  
 fuisset,

fuisset, iura sua vendere seni capulari non imaginaria formularum solemnitate, sed vere, minori quidem pretio, ut lucro allectum emtorem facrorum obligationem suscepturn inuenirent; quod vel siebat, antequam bona defuncti in ea essent caussa, ut repudiante herede aut abstinentie concursus creditorum exoriretur, vel minus. Prior in casu prior creditor tempore moti concursus non amplius creditor erat, adeoque facris adstringi nullo modo poterat; posteriori vero, iuribus suis licet cessis, facrorum obligatione solui nequibat, quia tamen creditor erat concurrens, et quod in fraudem publici iuris a priuatis agebatur, ipso iure erat nullum atque inualidum.

#### §. XIV.

Sunt et qui ad legatarios coemtionem nostram referunt, in cap. 20. et 21. lib. 2. de LL. auxilium querentes. Et IOACHIMVS quidem CAMERARIVS ad c. 12. CIC. pro Mur. „excogitatum, ait, a ICtis fuerat, quo pacto „pecuniam, qui facris liberarentur, retinere tamen pos- „sent, quod siebat solutione heredis per aes et libram, quae „memoratur in l. 2. de LL., et hoc loco innuitur coem- „tionis verbo. — Qualis autem ea res et solemnitas fue- „rit, cum ignoretur a nobis — nos de re tantum intel- „ligere satis habere debemus.“ Itaque nullo sententiam „suam argumento firmauit, sed vnde constat vtroque CI- CERO NEM loco de eadem re esse locutum? Quibus rationibus persuaderè nobis putat, actum, quo, obligatione ex testamento legatum praestandi soluta, quantitatem legatam ab herede sibi legatarius stipularetur, coemtionem fuisse appellatum? Eundem in errorem incidit

BAL-

BALDVINVS, eumque loco VARRONIS firmare conatur, qui libro de LL. VIto in fine, MCVIVM nostrum citat, quaedam scribentem per aes et libram fieri, ut obti- gentur, non ut mancipio dentur. Igitur non in mancipatione sola imaginariam emtionem obuenisse colligit, sed simile quid interdum in stipulationibus et obligationibus obuersatum esse, ad quam Viri D. sententiam GRVPE N id solum notauit, non satis cognitas esse mancipationis et nexus in specie talis differentias; nam generaliori sensu et mancipationem nexus comprehendit, estque omne quicquid per aes et libram geritur. Id certo constat, fuisse et praeter mancipationis solemnia librae ad contrahendas obligaciones iure civili plene atque perfecte validas apud Romanos usum; sed id in stipulationibus obtinuisse nulla ratione concluditur. Verum ubi res homoue cui Romano neXtendus erat, i. e. si ius in illum illamue praeter dominium quiritarium iure optimo cui constituedum erat, aut nexus ille soluendus, aes et libra adhibebatur quidem, longe alio tamen ritu, ac in mancipatione, licet ipsam nexus celebrandi formulam inuiderit nobis antiquitas. Cui enim ius in re aliena constituebatur, is eam manu tenens solemnia mancipationis verba: *Hanc rem meam esse aio ex iure Quiritium, effari non poterat.* Itaque HOTOMAN-  
NVS non inconcinne in Lexico iur. pluribus ex locis veterum coniicit, usurpatum in hoc legitimo actu antiquitus fuisse, vt, cui res aut homo neXtebatur, is eam eumue neXteret alligaretque, et contra in nEXi liberatione alligatum solueret, vnde obligationis solutionisque voces. Sed quid hic actus ad stipulationem, in qua sola verba solemnia ius legitimum tribuebant? quare et verborum obligatio dicitur. Verum etiam si interuenisset in illa

F 2

aes

aes et libra, quod plane tamen negandum est, ab imaginaria certe coemtione, quae in mancipatione versabatur, alienissima erat, quippe quae traditionem a mancipante peragendam vestitam esse, non nudam, symbolice indicabat. Quo igitur iure nexi liberatio stipulatione TULLIO coemtio dici potuisse? Quid coemtioni, qua sacra interimebantur, cum liberatione legatarii a Tacris? Hac enim sacra nunquam interibant, quia legatarius certe sine herede nullus est, adeoque illo licet liberato hic tamen scrorum oneri suscipiendo tenebatur. Quare et hac profligata sententia ad solos heredes coemtionem nostram pertinere potuisse, luce meridiana clarius est. Itaque ad eorum sententias, qui hoc viderunt, accedamus.

### §. XV.

*Sententiae eorum examinantur, qui heredem per coemtionem  
sacris liberatum viderunt, ad examen reuocantur, SCALI-  
GERI, SALMASII, MARCILII, TREKELLII,  
GVTHERII, GRAVINAЕ atque CONRADI.*

§. 15—21.

JOSEPHVS vero SCALIGERVs, postquam alias ab ipso plerumque fictas sacra a bonis separandi rationes prodidit: „Aut siebat, pergit, alio genere imaginariae venditionis, quae vocabatur coemtio, adhibitis senibus coemtionalibus, qui asse Caiano, h. e. numo festertio, dicis caussa ter accepto et rursus reddito heredem absoluuerent.“ Duo hic reprehendit GRONOVIVS, alterum, quod modum solum non rem ipsam attingit, SCALIGERV M tria mancipatione rem peractam putasse cum

cum triñam tamen mancipationem in sola adoptione atque  
emancipatione filiorum obuenisse, in caeteris omnibus,  
quae per aes et libram gerebantur, simplicem, inter  
omnes constet, in quo argumento confirmando corroborandoque totus est **GR V PEN I V S**. Alterum, non expli-  
care **SCALIGER V M**, quare in hisce senibus sacra interie-  
rint, curue ea non transferre ipsi in heredes aut caput obli-  
gare piaculo viderentur, summis sacris, quae erant negle-  
cturi, cui, quod respondeatur, in promptu est, adhibitum  
scilicet suisse senem orbum pauperimumque et iam **Orco**  
desponsatum. Verum toto coelo, me quidem iudice, a  
mente **SCALIGER I** aberrauit **GRONO VIV S**, ad cuius  
opinione proxime ille accedere videtur. Etenim, cum  
senes absoluuisse ait heredem, innuit hoc verbo, sacra hoc  
actu non traniuisse in senes illos, sed prorsus extincta esse  
iterata mancipatione. Quare omnia, quae superioribus  
contra **GRONO VIV M** monuimus, hic repetenda essent,  
si recosta apponere liberet.

### §. XVI.

Transeamus igitur ad **SALMASII** explicationem  
coemtionis nostrae, quam ad **GRONOVIANAE** quoque  
similitudinem accedere vedit **GR V PEN**. Ait ille: „senes  
„decrepitos allegarunt ICti, quae res aliquot hereditatis,  
„vt mancipia, coemerent; et sic, cum viderentur here-  
ditatem ipsam coemisse, sacris etiam illis, quae cum he-  
reditate coniuncta erant, haberentur obnoxii. Sed cum  
„capulares essent illi senes, quia tales eligebantur, ipsi mortuis  
sacra illa etiam extinguebantur et interimebantur, nec ad eo-  
rum heredes transibant.“ Et paulo post: „Mancipia enim

F 3

„fi

„si forte hereditaria ab illis senibus coemebantur, qui pro-  
 „prietatem tantum eorum emebant, cum vſus manebat  
 „penes ipsum heredem. Per fictionem enim celebrabatur  
 „haec venditio, quo heres sacris testatoris possit liberari,  
 „quasi in illum transiret, qui res hereditarias emisset.“ E  
 contrario vero **G R O N O V I S** contendit, non ad coem-  
 tionem, quae interimendorum facrorum cauſa siebat, per-  
 tinuisse senes coemtionales; sed de eo differere aptior in-  
 fra locus erit. Quaerit deinde, qua simulatione manci-  
 pia illa hereditatem totam repreſentauerint? Cur ad illos,  
 ad quos ſenum iſtorum morte mancipiorum transibat pro-  
 prietas, non propagata ſacra fuerint? Quae omnia toti-  
 dem fere verbis recoxit **G R V P E N**. Plena eſt ſententia  
 fictionum, omnia ſumuntur, probatur nihil. Adde heredem  
 adquisita hereditate, personam heredis nullo artificio  
 exuere, neminemque ſacra ſucepturum fuſſe, ſi nihil  
 inde lucri in eum redundant, inauditam vero mancipio-  
 rum quoad ſolam proprietatem, manente penes heredem  
 vſu emtionem, quod ſigmentum feduxit forſan virum  
 doctum **C I C.** *ad famili. l. 7. ep. 29.* male intellecta.

### §. XVII.

**M A R C I L I V S** inter caeteras emtionis imaginariae  
 species, quas ex datione raudusculi in arrham ſecundum  
 mancipationis ſolemnia falſo enatas putat, et hanc refert:  
 „ſi hereditas ſacris adiſtricta eſſet, venderet illam, fiducia  
 „interpoſita, heres ſeni capulari, acherontico et iam paene  
 „in Orci peculio, vt eo cis paucos menses, an dies? mor-  
 „tuo recipereetur et poſſideretur iam vt emta res, non vt  
 „legata aut relicta, eoque nec ſacris adiſtricta.“ In hunc  
 ſummis,

summis, qui illi mos est, conuiciis inuehit **G R O N O V I S**, nec fuisse hoc negotium imaginarium contendit, si heredi senis mors expectanda esset; et profecto secundum naturam paeti fiduciae res illico remancipanda erat. Deinde heredem monet denuo rem ut reliquam a sene, non ut emtam, recepisse, ergo et sic sacris adstrictum fuisse. Sed non hoc voluit **M A R C I L I V S**, ut senex relinqueret res sacrorum causa emtas heredi illa sibi vendenti, sed ut ea lege acciperet, ut post eius mortem venditori restituantur. Sed quare demum post mortem? si enim sacra non personae heredis, sed substantiis hereditariis adhaerebant, adeoque, illis a sene viuo restitutis, ad heredem rediissent, haec omnia post mortem illius senis eadem futura erant; si heridis personae alligata sunt sacra, ut sunt, adquisita hereditate in senem omnino transferri non potuerunt. A quo vero pecunia seni vendita sub pacto fiduciae post senis mortem remanciparetur? an ab herede? sed si heres illi erat, sacra in eum translata non interibant? Et quanta heridis iactura fuisset per tantum temporis spatium rerum suarum fructibus carituro, si recipere Orcus decrepitum refusaret! Quam incerta rerum iuriumque commixtorum inter se possessio!

### §. XVIII.

**T R E K E L L I V M** nouam effinxisse conieaturam, cum **C O N R A D I V M** consuluisse videatur, certe consulere eum potuerit, debuerit, iure miramur, praecipue cum retenta **G R O N O V I I** sententia mutarit id solum, quod sacra cum hereditate in senem venditione imaginaria translata eiusque morte extincta perhibeat. Ita Vir doct. „Venderet „seni

„seni cuidam morti vicino, (non quidem abscisse per mancipationem, nisi bona ista in rebus mancipi consisterent: sed per simplicem traditionem, ut in alia hereditatis venditione) ea lege, vt cum bonis sacra quoque in senem istum capularem transirent. Haec vero venditio tantum fuit imaginaria, vno forsan numo facta, non vt sensus reuera bona adquireret, sed vt vendor tantum a sacris liberaretur. Ne vero bonis istis retroenditis sacra simul redirent, vendor sine dubio fecit nouationem, et eadem bona a seni isto sibi stipulatus est, vt sic nouo titulo, ex stipulatu scilicet, et a sacris libera restituerentur. Senex vero ille, retento forsan pro facrorum molestia paruo lucello, sacris istis, dum viueret, adstrictus quidem fuit; sed illa tamen mox cum eius simul obitu extinguebantur, quia nihil ex bonis istis, vtpote restitutis, ad heredes suos transmitteret. Immo potest etiam esse, vt senem orbum et egentem ex insima plebe et capite censis, cui nemo heres existere voluit, ad hanc operam elegerint.“ Quam mire haec, in quibus id certe se effecisse gloriatur Vir. clar., vt sententiam ciuili et pontificio iuri conuenientem effinxerit, cum pontificum placitis, cum juris ciuilis principiis pugnant! Vix quidem fieri potuisse, ne vllam dominium legitimum toto ciuis patrimonio contineretur putarim; et, si vllum in eo erat, nonne mancipatione pro nuda traditione opus fuisset? Quid vero illud est: vendere mancipatione aut per simplicem traditionem? Idne priuati arbitrio legeque venditionis effici potuit, vt sacra cum hereditate in senem emtorem transirent, nisi pontificibus illud placuerat, quod non placuit? Et si placuisset, anne pacto de ea re initio opus erat? Quid deinde emtio efficere potuit, quod stipulatio

pulatio non potuerit, ut sacra ematio simul transferret, non stipulatio? Aut sacra hereditati alligata sunt; heres ea retinet, vendita hereditate, et pa<sup>g</sup>num de illis simul vendendis nullum est: aut bonis hereditariis adhaerent; cum his simul redeunt ad haeredem, sive illi ex stipulatu, sive ex retrouenditione reddantur. Eadem fere Cl<sup>r</sup>. TREKELL contra GRONOVIVM monuerat. Si porro senex etiam post restituuta bona sacris fuit adstric<sup>t</sup>us, certo ea non bonis hereditariis adhaesere, certo ad eius heredes, si talis erat, cui quisquam heres existere voluerit, transeuntia non exspirabant. — Sed heredes nihil ex bonis, vtpote restitutis, acceperunt. — Neque senex quidquam eorum post restitutionem possidebat, tamen sacris illum Vir Doct. adstringit. Denique cur senex exhibitus in hac coenitione capularis atque acheronticus, nisi et esset, qui nec heredem necessarium nec heredis spem haberet? quae ratio nulla est, si heredes ob bona iam restituta sacrorum religione soluti essent. Quis ergo minus sibi suaeque sententiae constat, quis pari ratione in sua ipse viscera facuit?

### §. XIX.

Propius iam ad vera accedentes, quid illis placuerit videamus, qui, vt heres liberetur, familiae pecuniaeque nomen sine re, imaginaria quadam venditione, in aliud, quam heredem, transferendum intellexerunt. Explicat hanc sententiam GRAVINA, non addito tamen, quo id effici potuerit, modo. Ita enim ille: „ICti ius pontificium in speciem sive verba illius tantum honoris caussa retinuerunt, re vero abrogarunt, excogitantes atque introducentes translationem quandam hereditarii nominis

G

,,nis

„nis per simulatas venditiones in senem aliquem decrepi-  
 „tum ac paene mortuum, c vi heres futurus esset nullus,  
 „in quem senem caderet nomen tantum hereditarium et  
 „dominii titulus absque re, absque bonis vllis, vna cum  
 „onere sacrorum, in quorum sumptus pecuniam ab herede  
 „capiebat, vt ea curaret, quoad viueret. Quo sine bo-  
 „nis moriente, ac hereditario familiae nomine cum eo  
 „vna pereunte, ius quoque sacrorum extinguebatur, bo-  
 „naque tum libera remanebant apud possessores illorum, a  
 „quibus ea de causa ille familie nomen et dominii titu-  
 „lum diuellerat.“ At nimis violenta haec **GRVPENIO**  
 videtur explicatio, et nusquam leges Romanas nudi here-  
 ditarii nominis et domini tituli absque re et bonis vna cum  
 onere sacrorum translationem in senem decrepitum tra-  
 dere recte monet, q vi heres nullus futurus esset. Ve-  
 rum **GRAVINA** non q vi sed c vi dixit. Caeterum  
 id facile concedere alioquin possem, si de illa re iam age-  
 retur, non posse nempe heredis nomen *absque hereditate*,  
 quae in iure solo consistit et damnosam quoque heredita-  
 tem comprehendit, in aliquem transferri, neque illud, sed  
 solum familie nomen in imaginarium familie emtorem  
 transiisse. Lapsus fortassis est **GRAVINA** eodem errore,  
 quem et **GVTHERIVS** et **CONRADI** errarunt, dece-  
 ptus, familiae emtorem in testamento per aes et libram  
 scripto sibi dominium hereditatemque acquisuisse, atque  
 vero heredi restituisse. Non vedit deinde **GRVPENIVS**,  
 quid impediuerit, quo minus ius sacrorum, a sene in he-  
 redes possit transmitti, etiam si res hereditarias non habeat?  
 Sed voluit **GRAVINA** eum eligi senem, cui heres  
 nullus futurus erat, quia scilicet nemo sine lucro plerum  
 sacrorum onera suscipere vellet, et senex esset egenus at-  
 que

que capularis. Denique quo artificio familiae nomen a bonis diuulsum perierit non intelligit, „nam bona, pergit, cum familie nomine non erant coniuncta, quique se arrogandum dabat, is cum capite et fortunas in alienam familiam transferebat, quamvis suam familiam deseuisset, et insolens plane ac inaudum erat apud Romanos, familiae nomen per imaginarias vendiciones in alterum transferri.“ Mirum est quantum hic quasi ex proposito coecutiat **GRVPENIVS** et alterum familiae, quoad in res deducitur, significatum plane ignorasse videatur; eatenus enim profecto familiae nomen bonis adhaerebat, a quibus quo artificio fuerit auulsum ostendere conantur **GVATHERIVS** atque **CONRADI**. Ex quibus **GVATHERII** sententia paullo est implicatior atque obscurior; qua re male illam intelligens **GRONOVIVS** conuicia, atque opprobria in virum doctum ruat euomitque, a quibus igitur nobis, praemissa suae opinionis explicatione ipsis addita verbis, defendendus est iure meritoque.

#### §. XX.

Mentem enim suam, praemissis modis, quibus legatarii sacerorum religione soluuntur, his verbis explicat **GVATHERIVS**: „Alius modus fuit perimendorum sacerorum, vt per aes et libram haeredes testamenti legatariis soluerent.“ (Hoc non ita intelligendum, vt heredes soluerent per aes et libram legatariis, sed vt ii, qui per aes et libram heredes testamenti facti erant, soluerent legatariis, quo ipso legatarii quoque pariter ac deducta aut partitione, saceris liberabantur, auulis scilicet, ipsa testamenti per aes et libram scripti natura, saceris a pecunia.

G 2

„Quod

„Quod genus testamentorum siebat comitiis curiatis pro  
 „Collegio pontificum, GELL. l. 15. c. 27.“ Ad haec  
 recte notat GRONOVIVS, testamenta per aes et libram  
 neque in comitiis, neque coram collegio pontificum esse  
 factitata, verum eorum testamentorum potius beneficio  
 testamenti factiōnē ex campo atque comitiis in priuatos  
 parietes translatam fuisse, GVTHERIVMQUE contrarium  
 sibi testem citare, quod et noui Iustiniane sciunt, et ad  
 ipsam rem nihil facit. Explicaturus sequentibus V. D.  
 formam testamenti per aes et libram, senes coemtionales  
 adhibitos refert, „qui bona testatoris emerent, heredique,  
 „quem testator elegisset, hereditatem restituerent.“ De-  
 inde „haec quidem attulimus, pergit, ad faciliorem Cice-  
 ronis intellectum. Heredes, inquit l. 2. de leg., per aes  
 „et libram soluant. Nam coemtionales senes, ut fami-  
 liae emtores, certis conditionibus emebant hereditatem,  
 „ut scilicet pecuniam heredi legatariisque soluerent, quam  
 „testator illos habere volebat.“ Verum GRONOVIVS  
 mirum quantum distare ait Ciceronis effatum: ut heredes  
 per aes et libram soluat, a GVTHERII; ut pecuniam he-  
 redi legatariisque soluerent. Non affirmauit aut voluit ad-  
 firmare GVTHERIVS, idem esse vtrumque; sed fami-  
 liae emtorem per familiae mancipacionem sub lege restitu-  
 tionis bona testatoris sibi acquirentem eo ipso soluere here-  
 dem ab obligatione legata p̄staendi, quia ipse heredi et  
 legatariis solueret, contendere ausus est. Itaque in eo solo  
 errauit Vir. doct., quod quicquam sibi adquisuisse putau-  
 rit familiae emtorem, heredique et legatariis illum soluisse,  
 de quo tamen aptior ad Ill. CAROLI FRANCISCI CON-  
 RADI sententiam disputandi locus erit. Licet vero bona  
 heredi ab emtore familiae restituenda fuissent, quod tamen  
 saluis

saluis Iuris ciuilis principiis ne fieri quidem potuisset certe ille non soluere poterat legatariis pecuniam legatam, sed heres solus illam soluere debebat. Pergit deinde GVTHERIVS: „Quo pacto pecunia ex stipulatu debebatur, „nec legatarii solum, sed et filii, qui emancipatione sui „heredes esse desinebant, nec in familia testatoris erant, „sacrorum onere subleuabantur,“ si scilicet heredes es-  
sent a patre instituti. Quare vero hic filiorum emancipa-  
torum mentio fiat, non intellexit GRONOVIVS; sed haec sane causa subesse visa est GVTHERIO, quod nempe filii sui heredes instituti a sacrorum onere liberari eo modo non potuerint, quia illi non ob pecuniam solum adquisi-  
tam, sed et quia ad familiam patris pertinebant, sacris ad-  
stricti fuerunt; emancipati vero, quoniam e familia patris emancipatione dudum egressi, ob solam pecuniae titulo vni-  
uersali adquisitionem, sacrorum familiarium religione iterum deuinciri debuissent. Quod GVTHERII commentum licet plane a veritate alienum sit, GRONOVI tamen intellectu difficillimum videtur, qui et nostrum porro reprehendit, quod de familiae emtore dixerit: *Emebat hereditatem, ut pecuniam solueret.* Vel enim pecuniam et heredi-  
tatem idem esse, et cur duae voces? vel diuersam, et tunc emtionem non fuisse imaginariam, atque hos senes bene locupletes esse oportuisse. Differt vero omnino hereditas in ea specie, quae GVTHERIO obuersabatur,  
a pecunia, quod hereditas sit vniuersitas iurium ipsa in familiae emtorem per aes et libram translata,  
pecunia ero, vlicet et alias pro vniuerso alicuius patrimo-  
nio sumatur *I. 222. de V. S.*, hic determinatam tantum aliquam rerum heredicularum partem et heredi et legata-  
riis soluendam significat. Nihilo tamen minus emtio fami-

liae erat imaginaria, cum familiae emtor nihil praestaret  
 pretiumue solueret pro familia ipsa mancipata, eum in  
 finem, vt solueret determinatas pecuniae quantitates illis,  
 quos testator eas habere volebat vi stipulationis atque pacti  
 fiduciae interuenientis, qua ratione effectum putat **G V-**  
**THERIVS**, vt ne hereditati, heredi non tamquam haer-  
 editas, sed ex stipulatu restitutae facra adhaerenter. Ne-  
 que ideo familiae emtores locupletes esse oportebat, plus  
 enim restituere, quam in illos esset translatum, cogi pro-  
 fecto non poterant. Verum enim vero licet **GRONOVII**  
**Obiectiones** **GV THERIVM** prorsus non feriant, in eo ta-  
 men errauit Vir doct. quod 1) pactum fiduciae in testa-  
 mento hoc per aes et libram intercessisse putet, cuius be-  
 neficio familiae emtor legatariis pariter atque haeredibus  
 solueret, quod illos habere volebat testator; quoniam fa-  
 miliae imaginarius tantum emtor erat; 2) quod non cu-  
 rate satis utraque testamentorum per aes et libram genera  
 a se inuicem distinxerit, atque adeo 3) quod ea de imagi-  
 nario familiae emtore affirmauerit, quae tantum de vero  
 familiae emtore, tanquam vero herede, vt olim omnino  
 erat, valere potuissent. Vnum restat contra nostrum  
**GRONOVII** argumentum, quod scilicet senes ad coem-  
 tiones interimendorum facrorum causa faciendas repertos  
 non eosdem esse cum familiae emtoribus veri sit simile,  
 quod pluribus exponere ac confirmare nititur **SCHWAR-**  
**TZIVS** praeterea cum **GRAEVIO**, **GRVPENIO**que cae-  
 teris **GRONOVII** rationibus nudum assensum praebens.  
 Sed de his post explicitam nostram sententiam. Iam haec  
 persequamur, quae succinete magis nitideque exposuit, at-  
 que argumentis pluribus corroborauit, mendisque crassiori-  
 bus antecessorum suorum politiori lima purgauit celeb.  
**CONRADI.**

§. XXI.

—

§. XXI.

55

Quae cum ita sint, iam sub examen a me reuocanda est  
doctrina illustris quondam FRANCISCI CAROLI CON-  
RADI tanti suo aeno viri, vt omnia prorsus ICti decora alio-  
quin inter multos dispersa in vna prorsus persona collecta  
teneret, cuius sane ex eruditione summa cum ingenii  
virtute consociata, aliter plane eueuire non potuit, quam  
vt omnium suorum antecessorum, qui vel vnquam de  
coemtionibus sacrorum interimendorum causa factis com-  
mentati sunt, longe lateque superaret. De ea re enim,  
non inficias eo, satis erudite eleganterque disputauit in  
*parergis lib. II. opusc. I.* et quamvis Gronouiana com-  
menta primus inter omnes profunditus destruxerit, senten-  
tiamque caeteris omnibus longe probabiliorem in re tam  
obscura coniecturatus sit, a me tamen vt impetrarem non  
sinunt veriora iuris ciuilis principia, vt his eius coniectu-  
ris plane subscriberem. Proinde tam argumenti dignitas  
quam Conradinae scientiae flores id omnino postulare mihi  
videntur, vt eius doctrinam de his coemtionibus succincte  
pleneque repeterem, meamque illustris viri argumentis  
dubitandi rationem ingenue opponerem. §. 2. igitur l.c. Na-  
ster causas euolut, cur ICti inuenient coemtiones sacrorum  
interimendorum causa facendas sequenti modo: „Cum  
„ista sacrorum obligatio multos deterret ab hereditate  
„cernenda, atque praeterea feriae et ceremoniae sacris  
„gentilitiis adscriptae multa quandoque tum magnificentia,  
„vt illa Seruilliae gentis de quibus PLINIVS *hist. nat.*  
„lib. 34. cap. 13. ingentique sumtu obeundae, ciuium fa-  
„cultates haud parum affligerent, maxime si vni plures he-  
„reditates obuenissent, publicae ciuitatis ratio poposit,

„vt

„vt Iureconsulti excogitarent modum, quo hereditas illa  
 „molestia sacrorum liberari possit. Inuenerunt itaque  
 „coemtionem sacrorum a senibus peragendam, cuius men-  
 „tionem CICERO facit in *Orat. pro Murena c. 12.* §. 3.  
 et 4. eorum deinceps autem profligauit visiones, qui eas  
 coemtiones de mulierum coemtionem facientium conuen-  
 tione in manum mariti intelligere innita prorsus Themide  
 ausi sunt. Sed quamvis in congerendis rationibus, pro-  
 pter quas ingenio Iurisconsultorum reperti fuerint senes ad  
 has coemtiones facienda, rem acu tetigisse videatur cele-  
 berrimus CONRADI, id tamen certe mihi non prorsus  
 liquet, qui fieri potuerit, vt propter sacrorum obligatio-  
 nem multi ab hereditate cernenda deterriti fuerint. Nulla  
 enim primis temporibus, quibus post LL. XII. Tabb. pa-  
 triciorum sagacitate testamentum per aes et libram indu-  
 etum est, fieri cogitarique potuit hereditatis aditio post  
 mortem testatoris a herede suscipienda, cum in hoc primo  
 per aes et libram testamento idem plane heres esset, qui  
 et in ipso per mancipationem actu testandi erat familiae  
 emtor, atque adeo ab eo iam, per ipsam mancipationem  
 in mortis euentum ita acquisita erat ipsa hereditas, vt adi-  
 tio eius post mortem testatoris non fieri amplius potuerit,  
 eaque igitur plane frustranea et ridicula fuisset, vt proli-  
 xi in sequenti doctrina disputabimus. Repugnat etiam  
 hoc Nostrum assertum ipsis additionis hereditariae indoli atque  
 notioni, quippe quae erat *declaratio voluntatis ab herede*  
 post mortem testatoris *facta, se hereditatem perfette sibi*  
*delataam esse acquisitum* (III. PRAESES princ. Inst. §. 233.)  
 familiae autem emtor atque veris simul heres in ipsa here-  
 ditatis mancipatione praefente testatore praefentibusque  
 mancipationis testibus hoc ipsum verbis solemnibus non  
 declara

declarauerat solum, sed etiam symbolice illi iam tradita erat, ipsius testatoris hereditas in eius mortis euentum. Proinde illustris CONRADI potiori iure contendere debuisset, illud grauissimum sacrorum onus cum hereditatis connexum saepius eos, qui familiae emtores verique simul heredes futuri essent, deterrire potuisse ab ipsa mancipatione, et per eam ab ipsa hereditatis acquisitione solemniter facienda. Interim satis certum est, celebrissimum CONRADI causas necessitatis, ob quas Iurisconsulti personam heredis a familiae emtoris persona separare decreuerant, secundum ipsam rei veritatem bene perspexisse, prout eas in sequenti §. 5. ad liquidum deduxit. Ibi enim pergit; „vt itaque missis aliorum conjecturis verisimilem tam obscurae explicationem adsequamur, vi deamus quid Iureconsultis agendum fuerit, vt faluo iure pontificio bona defuncti patrisfamilias sine sacrorum onore possent ab heredem peruenire? et appareat, inueniendum fuisse modum, quo bona ad heredem non viserentur peruenisse MORTE TESTATORIS. Hoc vero commenti genus utique procedebat, si quidem in posterum alias et ab heredis persona diuersus adhiberetur familiae emtor (quod, vt instituti alicuius plures possunt esse causae, neutquam pugnat cum eo, quod refert THEOPHILVS §. 1. I. de Testam. ord. insidias hereditatum occasionem huic consilio praebuisse) is dicas causa, et addita secreta lege, vt ille, qui in tabulis clausis scriptus esset, bona consequeretur, hereditatem aere et libra sibi compararet. Ad hunc familiae mancipem cum bona testatoris morte peruenissent, autores erant ICti, vt heres in tabulis scriptus, si molestia sacrorum adstringi nolle, pecuniam sive res, quae essent in hereditate, sibi ab em-

H

„tore

„tore familiae stipularetur, ac deinde ex stipulatione acci-  
 „peret. Quo vero siebat, vt totum sacrorum onus ma-  
 „neret apud imaginarium heredem, familiae mancipem:  
 „qui quidem adhibitus erat senex orbus, capularis, et de  
 „herede sibi extituro parum sollicitus, qui certa pecunia  
 „ad impensam ferendam accepta et lucello aliquo adspers-  
 „sus sacra testatoris familiaria secum interitura administra-  
 „ret.“ Verum enim vero plura fane sunt, quae ad hanc  
 viri illustris doctrinam a me monenda sunt. 1) Non re-  
 ste modum adsecutus est, quem ICtos sequi oportebat,  
 vt efficerent, vt saluo iure pontificio bona testatoris abs-  
 que sacrorum onere ad heredem possint peruenire, si  
 censem talem inueniendum fuisse modum, vt non morte te-  
 statoris bona ad heredem peruenisse viderentur. Nam  
 hoc plane fieri non potuit, imo nequidem cogitari, quod  
 ad heredem, qua talem, bona alia ratione quam morte  
 testatoris perueniant, prout ipsae rerum notiones ipsa-  
 que successionis hereditariae natura satis liquide demon-  
 strant, quare potius dicere talem a ICtis inueniendum  
 fuisse modum, vt hereditas ab onere sacrorum iam libera-  
 retur, antequam morte testatoris ad ipsum verumque he-  
 redem peruenire possit. Et hoc ipsum nulla alia ratione  
 fieri poterat, quam si mancipatione cum detestatione sa-  
 crorum coniuncta ab emtore et familia et sacra coemta es-  
 sent. Et hac coemtione semel celebrata, cardo totius rei  
 nunc in eo versabatur, vt efficerent alium et a persona fa-  
 miliae emtoris diuersum heredem post mortem testatoris  
 accipere posse solam hereditatem, retentis prorsus sacris ab  
 ipso imaginario familiae emtore, in quem semel inter-  
 ueniente aere et libra per hanc coemtionem solenni ritu  
 et more maiorum translata essent. 2) Quamuis igitur ce-  
 lebratiss.

lebratiss. CONRADI recte omnino perspexerit, hoc  
*evfēma* necessarie requisuiisse, vt alius et ab heredis per-  
 sona diuersus familiae emtor in ipsa mancipatione pera-  
 genda adhibendus fuisset, id tamen plane mihi negandum  
 est, ad hunc nempe familiae mancipem bona testatoris  
 morte peruenire eumque *secreta lege* obligari potuisse,  
 vt tum post mortem testatoris heredi in tabulis testamenti  
 scripto, interueniente stipulatione eum in finem post aper-  
 tas ipsius ultimi elogii tabulas ab eo perficienda, res, quae  
 essent in hereditate, non iure hereditatis, sed quasi ex sti-  
 pulatione ei debitas, restitueret. Res enim non plane so-  
 lum inaudita est, et cuius exemplum jurisprudentia Ro-  
 mana vniuersa plane ignorat, imo quae aetius legitimi na-  
 turae atque solemnitati aperte repugnat, quod coram tot  
 testibus, vniuersum populum R. in testamento per aes  
 et libram repraefendantibus, aliquid secreta lege ab ipsis  
 primariis personis aetiam hunc legitimum celebrantibus  
 peragi potuerit, sed etiam si poneretur, tale quid fieri  
 potuisse, intellectu tamen plane difficile est, qui fieri po-  
 tuerit, vt bona hereditaria, *morte testatoris* ad imagina-  
 riun hereditatis emtorem peruerent et qua ratione, sal-  
 uis juris civilis principiis dici possit, heredem in testamenti  
 tabulis scriptum res hereditarias non iure hereditatis, sed  
 ex stipulatione eo modo accipientem esse *verum heredem*.  
 Proinde haec sententia viri Clarissimi eo magis suspecta est,  
 quo maiora sunt incommoda, quae eam premunt, et  
 quasi sua sponte destruunt. 3) Lubenter quidem concedo,  
 per hanc coemtionem ICtorum ingenio excogitatum effe-  
 ctum esse, vt totum sacrorum onus maneret apud imagi-  
 narium heredem familiaeque manicipem, sed etiam longe  
 adhuc plura ex hac visione viri clarissimi sequuntur; non

H 2

enim

enim retinet solum hic familiae emtor hoc sacrorum onus, per hanc coemtionem ab eo acquisitum, sed etiam verus simul esset heres isque manere deberet, etiamsi ex fide testatori data hereditatem illi qui in testamento scriptus, restitueret, adeo, vt hic posterior, si heres dicendus esset, non nisi heres fideicommissarius esse posset, nullasque prorsus actiones hereditarias aduersus debitores defuncti haberet, nullisque plane actionibus a creditoribus defuncti aeris alieni soluendi causa conueniri posset. O egregium fideicommissum, quod ex mancipatione hereditatis ipsorumque verborum ex obligatione originem habet! O diuinum inuentum, quod aciem Iurisconsultorum Romanorum longe lateque supergreditur! Iam vero his a celeberrimo CONRADI praemissis §. 6. et 7. ad ipsam explicationem vltiorem, quam sibi mente conceperat, de his coemtionibus progreditur, et quidem ita: „coemtio sacrorum vna cum hereditate siebat testamento, quod per aces et libram condebatur, minime vero per eam liberatio hereditatis siebat a sacris, vt IAC. GUTHERIVS de „iur. pontif. L. 2. C. 6. aestimavit. Cum enim ex tali testamento, interueniente familiae emtore heres esset, cui ab illo restituenda essent bona: quomodo is ab onere et obligatione sacrorum liber esse potuisset? quin ad hanc liberationem efficiendam alia opus erat calliditate, vt nimur stipulatione interposita is, cui testator bona restitutui voluerat; ea non vt hereditatem, nec tanquam morte testatoris bona ad ipsum peruenissent, sed vt res singulaires per obligationem nexi sibi debitas acciperet, et familiae emtorem ex stipulatione dantem nexi obligatione solueret. Ita vero eueniebat omnino, vt ex coemtione familiae sive hereditatis, apud imaginariem illum.

„illum emtorem nomen heredis cum sacerorum onere maneret.“ Verum quidem est 1) COEMTIONEM SACRORVM vna cum hereditate factam esse testamento per aes et libram, ipsamque 2) coemtionem non direxte hereditatem a saceris liberauiss<sup>e</sup>, quippe qua potius ea sacra a testatore in familiae emtorem transcribebantur, sed simulac alias autoritate populi Romani in locum familiae emtoris substitueretur heres, qui nempe in tabulis testamenti scriptus esset, omnino consecutione inde a Iure-consultis colligi poterat, alium prorsus hereditatem accipere, alium autem saceris adstrictum esse, cum naturali ratione ille sacra solus retinere deberet, in quem interueniente sacerorum detestatione simul cum mancipatione eum in finem celebrata, vno eodemque actu legitimo translata erant, ille autem solus naturali ratione hereditatem omni sacerorum religione solutam caperet, qui in ipsis testamenti tabulis, autoritate populi Romani firmatis, heres scriptus esset, et in quem nulla detestatione (quippe quae tabulis testamenti fieri non poterat) onus sacerorum transcriptum esset. Proinde nulla certe opus esse poterat alia calliditate, et multo minus stipulatione eum in finem interponenda, vt is, quem testator heredem suum esse vellet; hereditatem, non vt hereditatem, sed vt res singulares per obligationem nexi sibi debitas per restitutionem a familiae emtore sibi faciendam acciperet. Nam familiae emtor quoad ipsam hereditatem imaginarius erat emtor, nihil plane hereditario iure ex bonis testatoris accipiens, adeoque nihil ex his bonis hereditate comprehensis scripto heredi restituere poterat. Ut igitur huic Conradinae coniecturae aliquid dari possit, certe alia et noua fictione opus fuisset, qua nempe Iureconsulti fingerent familiae

emtorem imaginarium hereditatem acquisuisse, eamque  
eo modo heredi scripto restituisse. Nam vere et actu haec  
restitutio bonorum hereditariorum ab eo, qui nulla vnu-  
quam acquisiuit, fieri nequit, et qui plane restituere non  
potest, ille etiam praecedente ex stipulatione restituere ne-  
quit. Ita sua sponte patet, coniecturam Viri celeberrimi,  
quae tanta erat, ut nouis fictionibus coemtionem quae  
siebat sacrorum interimendorum causa, augeret onera-  
retque, impossibilitatem complecti, quam tamen a fictioni-  
bus remotam esse debere notissimi iuris est. Sed ad  
hanc coniecturam cum omnibus iuris ciuilis principiis  
pugnantem induetus videtur vir doctissimus alio CICE-  
RONIS loco, nempe de Legib. Lib. 2. cap. 20. et 21.  
quem quidem pro substrata materia ibi a CICERONE  
tractata §. 7. recte explicauit, sed ad nostram coemtio-  
nem, de qua CICERO Orat. pro Murena cap. 12. locu-  
tus est, male applicauit. Pergit enim „illud εὐπέμψα, quo  
„interueniente stipulatione nexus religionis a bonis here-  
„ditaris tolleretur, noscimus ex alio CICERONIS lo-  
„co, vbi exponit modum, a Scaeoula inuentum, quo  
„ab onere sacrorum soluerentur hi, qui morte testamen-  
„toue patrisfamilias tantundem caperent; quantum omnes  
„heredes. Verba, quae hoc pertinent, sunt de Legib.  
„lib. II. c. 20. et 21. Quamvis enim CICERO ista non  
„de herede sed de legatario tantundem bonorum, quan-  
„tum omnes heredes capiente dicat, nemo tamen non  
„videt, parem vtriusque rationem fuisse, cum legatarius  
„talis non minus quam heres esset onere sacrorum obstri-  
„ctus. Itaque eodem modo, quo is liberaretur hac obli-  
„gatione, heredem quoque liberari potuisse, non est quod  
„ambigamus.“ Verum enim vero nulla ratione modus

a Scaeuela inuentus, quo legatarii ab onere sacrorum liberari possunt, ad heredes testamento scriptos extendi potest. Legatarius enim, etiamsi tantundem bonorum capiat, quantum omnes heredes ex hereditate retinent, titulo prorsus singulari acquirit, atque adeo stipulatio facile intuitu eius interponi potuit, quippe quae etiam nudum titulum singularem complectitur, et in re ipsa intuitu legatarii rem legatam acquirentis parum interesse poterat, vtrum titulo legati, an vero eam ex causa stipulationis acciperet. Sed alia longe res est intuitu veri heredis directi, qui qua talis nulla alia ratione quam successione vniuersali bona hereditaria acquirere potest, adeoque fieri nequit, vt res hereditarias ex causa stipulationis haberet, quia, si eas ex stipulationis praecedentis causa habiturus esset, is certe nec amplius heres esset, nec tanquam talis cogitari posset, et praeterea impossibilis quoque esset, hac solemnitate iuris civilis adhibita familie emtorem soluendi ratio, quia is nihil ex ipsa hereditate per imaginariam familie emtionem acquisuerat, atque igitur nihil ex hereditate, praecedente heredis stipulatione, illi restituere poterat. Ceterum celebratissimus CONRADI §. 8. rationem, quare senes Iureconsultorum ingenio ad has coemtiones celebrandas reperti fuerint, bene vereque explanauit, et contra GRONOVIVM satis quoque feliciter monuit §. 9., heredem ipsum testamenti, quoniam vendendo acquisitam hereditatem heredis personam deponere nequit, hanc coemtionem cum eiusmodi sene celebrare non potuisse, recteque simul contendit eam coemtionem sacrorum interimendoram causa, fieri debuisse, antequam bona peruenirent ad heredem tabulis testamenti scriptum.

§. XXII.

---

## §. XXII.

*Probabilior coemtionis sacrorum interimendorum causa factae, explicatio proponitur. §. 22—26.*

Tantum de virorum doctorum coemtionis ad interimenda sacra factae explicationibus pro causae grauitate argumentique subtilitate differendum nobis fuit. Extra omnem dubitationis aleam vindicauimus sacra priuata bonis per dispositionem inter viuos in alios transferendis nunquam alligata fuisse, atque adeo nulla quoque vel vnuquam in his ipsis sacrorum interimendorum causa opus fuisse solutione. (§. 6.) Deduximus, illam coemtionem, de qua omnis nostra disputatio fit, nulla ratione pertinere potuisse ad coemtiones vxorum conuentionis in manum mariti peragendae causa factas. (§. 6—8. et §. 12.) Discussa sunt a nobis eorum argumenta, qui has coemtiones ab hereditibus post acquisitam hereditatem celebratas esse contendere ausi sunt. (§. 9. 10. 11. 17. et 18.) Profligauimus tandem eorum omnium visiones, qui coemtionibus omnes alios iure pontificio praeter heredes, sacris adstratos, ab iis liberari potuisse existimauerunt. (§. 13. et 14.) Et quamvis horum omnium virorum doctorum explicaciones inter se quam maxime discrepantes videantur, in eotamen profecto conteniunt, quod cum principiis iurisprudentiae Romanae plane consistere nequeant. Proinde iam me in ipsa juris civilis mysteria penetrare oportet, omnesque adeo doctrinae et ingenii neruos impendere, ut probabilorem euoluere possim sententiam tam juris pontificii quam juris civilis rationibus perfecte accommodatam. Ea autem, quam nunc proposituri sumus, coemtionis ad sacra interimenda explicatio ipsa testamentorum vicissitudine

dine a THEOPHILO §. I. *Instit. de Test. ordin.* tradita  
 ipsorumque horum testamentorum virtute, quam pro di-  
 uersa eorum indole secundum varias temporum successio-  
 nes habuerunt, longe lateque subfulta est. Ibi enim  
**THEOPHILVS** postquam de antiquissimis testamentis,  
 quae aut fiebant in comitis calatis aut in procinctu, breui-  
 ter dixit, illorum testamentorum, quae per aes et libram  
 fieri debebant, natales causasque egregie recensuit, et  
 quidem, secundum versionem curatissimam celeberrimi  
**GVLIELMI OTTONIS REIZII** sequenti ratione:  
 „Ideo excogitatum est genus tertium, quod dicebatur  
 „PER AES ET LIBRAM, fiebatque per emancipationem.  
 „Emancipatio autem est imaginaria venditio, et perage-  
 „batur hunc in modum; aderant quinque testes, et libri-  
 „pens, ciues Romani puberes, atque his praesentibus is,  
 „qui successor futurus erat defuncti, emebat morituri pa-  
 „trimonium, dicens quaedam verba solemnia, quae nunc  
 „dicere supervacaneum est, dabatque pretii imaginarii  
 „nomine nummum domino patrimonii, et emens diceba-  
 „tur familiae emtor, et moriturus porro ordinabat, quid  
 „dari oportaret post suam mortem: dicebat enim familiae  
 „emtori siue heredi: Volo ut huic agrum, illi domum,  
 „alii centum aureos des. Atque hoc inuenio genere,  
 „priora illa duo genera calatis comitiis et procinctu, ex  
 „multis iam temporibus in desuetudinem concesserunt, at-  
 „que ipsum PER AES ET LIBRAM paullatim spretum  
 „fuit. Quoniam enim familiae emtor idem erat ac heres,  
 „et inde porro sciens se fore successorem, infidiabatur do-  
 „mino patrimonii: ideo secundum antiquam formam ad-  
 „hibebatur familiae emtor, qui morituri patrimonium ima-  
 „ginarie emebat, sed testator seorsum in tabulis vel in

„chartis scribebat, quem sibi vellet heredem esse.“ Equidem me non fugit, plures esse viros doctos, qui hanc THEOPHILI de diuersis testamentorum formis narrationem variis ex argumentis in dubium vocant; sed nihilominus autoritati Theophilinae huic confidere malo, quam iis moliminiibus horum THEOPHILI obtestatorum ab omni historicae verisimilitudinis virtute destitutis. Nostra enim aetate Iureconsultorum certe cordatiorum nemo facile post vindicias potissimum Mylianias, Reizianas, et Sammetianas eundem nostrum fuisse dubitabit, qui Triboniano inter ceteros in componendis Iustiniani Institutonibus atque Digestis architectos adfuit comes, atque huic Theophilinae narrationi eo maior danda est autoritas, quo magis ipsum Imperatorem suum in tradendis multorum iurium originibus, quae alioquin ad nostrorum temporum doctrinam peruenire non potuissent, secutus est, quaque eo curatori lima tradere poterat, quo eius aetate omnia veterum iureconsultorum volumina integra prostrarent, ita ut, recte iudicante M. AVRELIO GALVANO de *Vsfir.* pag. 193. ineptum plane esset, non solum dicere, sed quoque credere, THEOPHILVM, ut nobis fucum obduceret, se ipsum mendaciae, reum apud coetaneos suos facere voluisse.

### §. XXIII.

Ex hac igitur Theophilina narratione de testamentorum antiquiorum apud Romanos successione, statim sua sponte appetat, testamento per AES ET LIBRAM primus introducto 1) eum, qui successor futuros erat defuncti, emisse testatoris patrimonium, solemniaque quaedam

dam verba simul dixisse, quorum THEOPHILVS autem nullam rationem amplius habendam esse duxit, cum ab eius temporibus, ut et a recentioribus testamentis iam dum remota essent; 2) testatorem in ipso per mancipacionem testandi actu legata, si quae relicturus esset, simul familiae emtori tanquam vero heredi iniunxit; 3) insignem autem deinceps factam esse mutationem intuitu familiae emtoris ipsiusque testamenti nunc scriptura persciendi. Cum enim in priori testamento, quod per mancipacionis solemnitatem celebratum est, is, quem testator heredem suum esse vellet, ipsam testatoris familiam seu hereditatem solemnni ritu pretio interueniente imaginario emisset, atque adeo in hoc testamento verus familiae emtor fuerit, qui et verus heres esset, paullatim in locum veri familiae emtoris substitutus est imaginarius familiae emtor, qui quidem adhibendus esset semel solemnitatis receptae, per mancipacionem nempe testandi, peragendae causa, sed qui ipsam testatoris hereditatem non amplius hoc solemnni ritu in eius mortis eventum sibi acquirere et verus testatori heres esse poterat: necessarium omnino fuit, ut alias heres a familie emtore diuersus a testatore institueretur, ille nempe, quem testator scripsisset in tabulis testamenti, que iam ante aetum testandi eum in finem a testatore prescriptae erant, quasque praesentibus ipsis testibus proferebat, eorumque autoritatem, ut iure valere possent, solemnibus verbis impetrabat. Testamentum per aes et libram quidem quoad *materiam* ex ipsis legibus XII. Tabb, origines suas causasque habet, cum hoc iure decemuirali liberum plane testandi arbitrium ciuibus Romanis indultum esset, ita ut quicunque paterfamilias pubes profusam testandi licentiam quoconque loco et quoconque

I 2

tem-

tempore exercendam accepisset, sed quod *formam* suam  
 Patriciorum ipsorumque Pontificum ex industria enatum  
 est, cum mox post leges XII. Tabb. aetuum legitimorum  
 formas componerent, quibus negotia priuata peragenda ef-  
 fent, ita ut ciues nihil fere absque Patriciorum Pontificumque  
 opera peragere valerent, illique iuris ciuilis possessionem  
 retinerent, omnibusque maioris momenti rebus priuatis  
 interesserent. **I. o. A V G . B A C H I V S** *hist. iurispr. Roma-*  
*nae libr. II. cap. 2. sect. 4. §. 2. seqq.* Et ita factum est,  
 ut formam mancipationis cum ipso actu testandi communi-  
 carent, eumque certis et absque vitio nullitatis non negligi-  
 gendis solemnibus ritibus firmarent, adeo ut heres vni-  
 uersum patrimonium seu familiam testatoris ab ipso testa-  
 tore tanquam venditore quasi emere deberet. Verum  
 enim vero quum deinceps sequentium iureconsultorum ar-  
 tificio hic familiae emtor non amplius ipsam hereditatem  
 hac mancipatione acciperet, sed heres ab illo diuersus in  
 tabulis testamenti scriberetur, vt post testatoris mortem  
 hereditatem eius caperet, remansit quidem tota mancipationis  
 solemnitas et forma semel recepta, sed omnino  
 requirebatur ad conciliandam huic aetui nouam hanc virtu-  
 tem, vt nempe heres in tabulis testamenti scriptus heredi-  
 tam accipere possit, alia cautio, cuius beneficio tabulae  
 ipsum ultimum elogium continentis auctoritate ipsius populi  
 ita confirmarentur, vt familiae emtor ab ipsa per man-  
 cipationem sibi acquirenda hereditate excluderetur. Pro-  
 inde horum iurisconsultorum ingenio inducta est rogatio-  
 nis seu nuncupationis formula, qua testator, tabulas testa-  
 menti manu sua tenens, ipsos testes, qui totum populum  
 Romanum repreäsentabant, rogabat seu alloquebatur teste  
**V L P I A N O** *fragment. Tit. XX. §. 9.* sequenti ratione:

H A E C

HAEC VTI IN HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA  
SVNT, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQVE VOS  
QVIRITES TESTIMONIVM PRAEBITOTE. Quae  
cum ita sint, nullo prorsus non negotio liquet, testamen-  
tum per aes et libram, vt ab initio a pontificibus atque pa-  
triciis eius forma constituta erat, solam mancipationis fo-  
lemnitatem complexum esse, in testamento autem per aes  
et libram artificio sequentium iureconsultorum emenda-  
reformatoque, totam quidem mancipationis solemnitatem  
retentam, sed illi quoque rogationis seu nuncupationis for-  
mulam additam esse. Inter omnes optime de mancipationis  
solemnitatibus disputauit FRID. BRVMMERVS in  
*commentario ad legem Cinciam cap. 13. pag. 191 seqq.*  
(edit. Parif.), et cum ad argumenti mei neruos non pertineat,  
vt copiosius de his solemnitatibus formulisque, quas testa-  
mentum per aes et libram secundum varias temporum pe-  
riodos accepit, differamus, hoc vnicum tamen in praesenti  
monendum est, huius testamenti formam ita comparatam fuisse,  
vt quasi vmbram et imaginem testamenti comitialis reti-  
nuerit, recte iudicante CHR. THEOPH. SCHWARTZIO  
*in diff. de detestatione sacrorum, §. 15.* ita vt ea ipsa, quae  
in testamentis comitialibus fierent, perfecte aemulata fue-  
rit. Ab initio enim testamenta in comitiis curiatis populi  
Romani, quae teste GELLIUS noct. Att. Lib. XV. cap. 27.  
coram collegio pontificum perficienda erant, ita celebrari  
decebant, vt auctore ipso populo Romano heres in cu-  
riam defuncti testatoris succedere, et sacra familiaria ipsius  
testatoris, autoribus pontificibus in heredem transire pos-  
sint. Hoc ultimum detestatione sacrorum simul peracta  
effectum videtur, de qua nunc copiosius mihi differendum  
est.

## §. XXIV.

## Detestatio sacrorum explicatur.

Reste monet SCHWARTZIUS l. c. §. I. solum A. GELLIVM inter omnes veteres, qui ad nos peruererunt, scriptores expressis verbis meminisse DETESTATIONIS SACRORVM, et quidem lib. 6. cap. 12. atque lib. 15. cap. 27. Priori enim loco GELLIVS inquit, „Seruius Sulpitius iureconsultus, vir aetatis suae doctissimus in libro de SACRIS DETESTANDIS secundo, qua ratione adductus testamentum verbum esse duplex, scriperit, non reperio; et altero loco, iisdem comitiis, quae calata appellari diximus, sacrorum detestatio et testamenta fieri solebant. Sed hoc ipsum, quod GELLIVS his duobus capitibus ita de sacrorum detestatione dixerit, SCHWARTZIVM omnino docere debuisse, eam sacrorum detestationem verisimiliter cum testamentis antiquis arctissime fuisse coniunctam, et quidem non ob eam solum causam, quod in his comitiis curiatis coram populo et coram pontificibus et sacrorum detestationes et testamenta fieri solebant, sed etiam maxime, quod GELLIVS expresse nos doceat, Seruium Sulpitium in libro de sacris detestandis secundo de testamentis eorumque iure et forma tractasse, adeo ut proxime ad veritatem accedere videatur, iureconsultum in libro primo de sacris detestandis ipsam eius indolem, rationem, formam atque ritus explicasse, in secundo autem libro, de testamentis eorumque iure, tanquam de rebus connexis, disputasse. Iam ex hoc solo argumento tam probabili, ut in re tam obscura, in qua iuris antiqui pertinens memoria superest, vlla ratione fieri potest, explicatio viri alioquin eruditissimi sua sponte labefactatur, qua sibi per-

persuadet l. c. §. 15. hanc SACRORORVM DETESTATIONEM non fuisse nisi ipsam consecrationem, quam publice, teste quidem et consentiente populo et approbanibus annitentibusque pontificibus rite solenniterque fieri oportebat. Hanc vero clarissimi SCHWARZII opinionem omnibus plane rationibus destitutam, imo impossibilem esse, ex iis, quae sequuntur, luculenter apparebit. Sed longe absurdior est ea detestationis huius descriptio, qua non nulli viri docti cum JOSEPHO SCALIGERO in notis ad FESTVM sub voce Puri et ANTONIO THYSIO in notis ad GELLIVM lib. 6. cap. 12. detestationem sacrorum inter modos, quibus sacra perimerentur, referendam esse putarunt, contra quos inter caetera summa cum argumenti virtute monuit clarissimus SCHWARZIUS, nulla ratione verisimile esse, detestationem tanquam modum abrogandorum sacrorum, pertinuisse ad comitia calata; cum vetustior aetas Romanorum, qua adhuc floruerant illa comitia calata, pro simplicitate et superstitione sua, sacrorum retinendorum quam perimendorum videatur fuisse studiosior. Tantum enim abest, vt ipsa sacra familiarum detestatione interimi potuissent, vt potius ea detestatio ad propagationem sacrorum ultra eas quoque familias, in quibus consecratione pontificali interueniente antiquitus constituta, vnicce comparata fuerit. Proinde iam argumentis verisimilibus id efficere studebimus, vt detestationis huius sacrorum eam explicationem animo comprehendamus, quae proxime ad mentem et interpretationem A. GELLI accedit, quippe qui solus inter anticos scriptores eam expressit, ita vt iam ex sola hac ratione ceteris virorum doctorum coniecturis longe praferenda sit. Verbi detestationis et detestari significatio tribus in capitibus tituli D. de V. S. tradita est.

est. L. 39. §. 2. ex IVLII PAVLI lib. 53. ad edictum  
**DETESTARI** pro absenti denunciare declaratur, L. 40.  
*pr. eod. tit. ex VLPIANI lib. 56. ad edictum DETESTA-*  
*TIO* dicitur denunciatio facta cum testatione et L. 238. §. 1.  
**CAIVS lib. 6. ad LL.XII. Tabb. DETESTATVM.** inquit,  
*est testatione denunciatum.* Ex comparatione L. 40. pr. cum  
L. 238. §. 1. generalissima verbi **DETESTATIONIS** col-  
ligitur significatio, quod nempe **denunciationem cum testatione**,  
id est, *coram testibus factam* inuoluat, ut bene monuerunt  
IAC. CVIACIVS ad L. 238. de V. S. et EMVND. ME-  
RILLIVS *Variantium ex Cuiacio lib. 1. cap. 53.* (p. 274.  
ex editione Neapol. Tomo 2.) et SCHWARZIVS *dissent.*  
*cit. §. 12. L. 39. §. 2.* restrictior quidem significatio obue-  
nit, cum PAVLVS detestatione denunciationem absenti  
factam intelligit, sed ex substrata materia explicari debet,  
cum iureconsultus ibi quasdam significaciones verborum ad  
edictum Praetoris de missione in possessionem bonorum  
absentis atque latitantis debitoris in ius vocati pertinen-  
tium explicauit. Quamobrem si ex hac detestationis  
significatione generaliori definitum sit, quid **SACRA**  
**DETESTARI** inuoluat, prima statim significatio inde  
composita enascitur **DETESTARI** nempe **SACRA** non  
esse, nisi **sacra praesentibus testibus alicui denunciare.** Si  
igitur porro disquirendum, quanam ex ratione seu ob  
quem finem sacra ita denunciata fuerint, triplex virorum  
doctorum interpretatio sese nobis offert. Alii enim, in-  
ter quos praecipue nominandi sunt IAC. CVIACIVS ad  
L. 39. et 40. D. de V. S. EM. MERILLIVS l. c. 10.  
GEORG. GRAEVIVS *in praefat. ad T. I. et ad T. V.*  
*Theſ. antiq. Roman. celeberrimus I. GOTTE. SAM-*  
*MET. in coroll. IIdo ad diff. IIIItiam receptarum lectionum,*  
ad

ad IAVCHIVM et IAN. VINCENT. GRAVINA orig.  
*iuris ciu. lib. 2. cap. 77. pag. 254.* editionis Lips.  
 eam pro modo *sacra priuata ad heredes et legatarios trans-*  
*ferendi* habuerunt, alii autem cum JOSEPHO SCALI-  
 GERO eam tanquam modum *perimendorum sacrorum in-*  
*telleixerunt*, inter quos tamen GRAEVIVS in *praefat.*  
*ad T. V. Thes. Antiq. Roman.* cum iniuria etiam retulit,  
 IACOBVM GUTHÉRIVM disertis verbis *de iure ponti-*  
*ficio lib. II. c. 6.* in contrariam sententiam plane euntem.  
 Denique clariss. SCHWARZIVS, vt iam monui, eam in-  
 terpretatur esse *consecrationem sacrorum.* Sine dubio prio-  
 rum sententia interpretatioque et ipsi verborum proprie-  
 tati et testimonio GELLIANO est longe adcommoda-  
 tor, eiusque primus auctor esse videtur summus CVIACI-  
 IVS, quamuis vt fieri solet quandoque, et praeprimis  
 in hac interpretatione, non semper CVIACIVS fuerit.  
 Iureconsultus, quo maiorem nullavidit aetas, cui parem fu-  
 tura frustra desiderabunt secula, eam *l. c.* esse *translatio-*  
*nem sacrorum in heredem et legatarium tantundem bono-*  
*rum capientem, quantum omnes heredes, in comitiis ca-*  
*latis autore populo autoribusque pontificibus, tradidit.* Omni-  
 bus certe numeris suis absoluta esset interpretatio haec  
 Cuiaciana, si eam translationem ad solam heredis perso-  
 nam restrinxisset, nulla profecto in ea detestatione legata-  
 rii habita ratione. Non enim incertum solum est et valde  
 dubium, vtrum vel vnquam testamentis comitalibus vi-  
 lum legatum alicui reliquum sit, sed, etiamsi his temporib-  
 us legata iam obuenissent, haec tamen translatio sacro-  
 rum in legatarium ideo fieri non potuisset, quoniam iis  
 temporibus, quibus testamenta in comitiis condebantur, sa-  
 cra pecuniae nondum alligata fuerunt, et praeprimis CI-

K

CERO

CERO nobis praestantissimus est auctor, eiusmodi legatarios primum ex edictis P. Scaeuelae et Tib. Coruncanii, pontificibus maximis sacris adstrictos esse. CVIACII interpretationem coeco impetu GRAEVIVS atque GRAVINA sequuti sunt; sed MERILLIUS longe meliorem amplexus est explicationem l. c. „puta, inquit, quomodo „testatores, cum testamentum facerent, sacra detestari de-„berent, id est, testato denunciare heredibus, ut sacra, „quae in familia fieri solerent, retinerent, neque ea in-„terire sinerent, et quibus ritibus et ceremoniis quibusue „sumtibus ea procurarent.“ Quamuis enim iam moribus maiorum sacra hac aetate familiae fortassis adstricta videantur, quatenus in personas deducitur, adeo ut quilibet ex familia ad ea administranda obligatus esset, certum tamen est, haec sacra ad familiam, quatenus in res deducitur, nondum fuisse adligata, quippe quod demum ex iure pontificio legibus XII. Tabb. recentiori enatum est, atque adeo ut ad solos heredes testamentarios in curias et familias testatorum succedentes, haec sacrorum detestatio, ut nempe sacra familiaria testatoris in heredem extraneum, et qui non ex familia eius erat, transire possint, pertinere potuerit. Et cum in testamentorum per aes et libram solemnitatibus imago testamenti comicialis retenta fuisset, naturali ratione argumentum ad detestationem hanc sacrorum his in testamentis etiam celebrandam patriciorum pontificumque studio deductum est, ita ut totus subscriram doctae explicatione celeberrimi SAMMETII, quil.c.  
„SACRA DETESTARI, inquit, de quibus olim Ser-„uius Sulpitius, nihil aliud significat, quam in comitiis ca-„lati, mox in testamento per aes et libram teste Quiri-„tium populo, praecedente rogatione, cum pecunia sa-„cra

„cra simul in heredem, quae more maiorum perpetua esse  
 „decebant, transscribere.“ Quod vero ad clarissimi  
 SCHWARTZII nouam plane opinionem attinet, quam  
 ante eum nemo, nec veterum, nec recentiorum propo-  
 suit, qua nempe eam ipsam esse consecrationem rite so-  
 lemnierque factam statuit, ea ab omni plane monumento-  
 rum antiquorum fide abhorret. Si enim illa ipsa esset  
 consecratio, certe a nemine nisi a pontificibus ipsis peragi  
 potuisset, quod tamen SCHWARZIVS non vult, sed  
 eam tantum approbantibus pontificibus fieri debuisse op-  
 natur, et iam ex eo solo apparet, virum doctum ipsius  
 nequidem consecrationis rationem indolem atque modum  
 peragendi perspexisse, quod eo magis mirandum est, quo  
 curatius ipsa veterum scriptorum loca in opusculo suo lau-  
 dauit, quae certe eum luculenter docere potuissent, ipsum  
 ius consecrandi dedicandique ad pontifices pertinuisse, eos-  
 que ipsam consecrationem tanquam *actum, quo ex re,* quae  
 sacra non est, *sacra fit,* solos perfecisse, licet omnino in  
 potestate pontificum, variis legibus restricta, non esset, sine  
 iussu populi consecratione res sacras faciendi, adeo ut si  
 quis in honorem cultumque Deorum rem aliquam sacrari  
 cuperet, is certe necesse haberet, institutum suum ad po-  
 pulum Romanum, (ut nempe pontificibus autoritatem  
 daret ad perficiendam consecrationem) collegiumque  
 pontificum deferre, (ut nempe ad iussum seu ad au<sup>r</sup>tori-  
 tatem populi) consecrationem ipsam peragerent.  
 SCHWARZIVS autem totum consecrationis actum tan-  
 quam talem mente sibi concepit, quem non pontifices, sed  
 is ipse, qui rem sacrari cuperet, autoritate populi ipso-  
 rumque pontificum, perficere deberet, quo tamen com-  
 mento plane a veritate ita aberravit, vt oblationem ad

K 2

con-

consecrationes faciendas pro ipsis consecrationibus habuerit. Si igitur secundum hanc SCHWARZII mentem reformanda esset eius de sacrorum detestatione explicatio, ea ipsa certe dicenda esset *oblatio ad consecrandum*, non vero *consecratio ipsa*, cuius virtute indoles atque character rei sacrae rebus, quae sunt humani iuris, conciliatur, eaque interueniente inter res diuini iuris referuntur. Ipsum denique ius consecrandi dedicandique plane ad ius pontificium pertinuisse, satis copiose docuit IAC. GVTHERIUS de iure pontificio libr. 4. cap. 22. Et praeterea nulla ratione verisimile est, si consecratio fuisset sacrorum detestatio, 1) solum A. Gellium id *detestationem sacrorum nominasse*, quod omnes ceteri veteris aeui scriptores *consecrationem* appellauerunt, atque 2) Seruum Sulpitium in libris suis, quos conscriperat *de sacris detestandis*, simul tractare voluisse iura antiquorum testamentorum, cum certe nullum consecrationis caput ad testamenti causam pertineret, et tandem 3) ipsam consecrationem in comitiis esse peractam, licet iussus populi ad consecrationem faciendam in comitiis dari debuisset, ut non immerito TREKELL. l. c. cap. 2. §. 15. contendit. Opposuit quidem iis viris doctis, qui sacrorum detestationem esse translationem illorum in heredes docuerunt, l. c. §. 13. suas dubitandi rationes clarissimus SCHWARZIUS his verbis: „Erat „enim detestatio factorum peculiaris et publicus actus, qui „olim in comitiis calatis, teste et consentiente populo Romano, siebat. Tali peculiari actu et denunciatione publica haud quamquam opus fuit, ut cuiuscunque heredes et legatarii obligarentur sacris familiae. Iam enim lege publica, eaque generali, sacra priuata, quae iam erant rite constituta, debebant esse perpetua. Deinde pon- „tificum

„tisicum autoritate fuit institutum, vt iis essent ea adiuncta, ad quos patrisfamilias morte pecunia venerit. Hinc  
 „CICERO lib. II. de legibus cap. XXI. dixit, *sacra cum pecunia, pontificum autoritatib; nulla lege coniuncta esse.*  
 „Ergo nihil opus erat praeterea peculiari denuntiatione; neque per nouam legem curiatam heredibus et legatariis  
 „deferenda erant sacra, quae ex ipso iure pontificio iam  
 „cum pecunia erant coniuncta. Innumeri homines apud  
 „Romanos moriebantur sine testamento facto, et sine de-  
 „nuntiatione singulari sacrorum; nihilominus tamen iam  
 „lege erat cautum, vt etiam heredes ab intestato, et nul-  
 „la denuntiatione instructi, sacris alligarentur. Ad obli-  
 „gationem sacrorum satis erat, hereditatem et maiorem  
 „partem bonorum familiae, vel ab intestato, vel per te-  
 „stamentum capere; satis erat rite adoptari in familiam,  
 „esse in potestate paterna; aut legitimo matrimonio iungi:  
 „hi omnes, quod iam supra demonstravimus, adstringe-  
 „bantur sacris, neque iis peculiari ritu in comitiis  
 „testato erat denunciandum, vt sacra, quae in familia  
 „fieri solerent, susciperent, aut retinerent. Frustra adeo  
 „singitur haec *particularis* denunciatio.“ Sed nullo non  
 negotio facilis est responsio ad diluenda haec Schwarziana  
 argumenta, vndiquaque repetita et compressa compilatione  
 consarcinata. Etenim 1) omnino quidem verum est,  
 detestationem sacrorum peculiarem et publicum fuisse  
 actum in comitiis calatis teste et consentiente populo Ro-  
 mano celebrandum, sed eiusmodi quoque actus requireba-  
 tur, vt sacra familiaria testatoris in heredes transire pos-  
 sent, etiam si iam receptum esset, sacra priuata in familiis  
 esse debere perpetua, quia maxima constituitur verisimili-  
 tudine, testamenta comitalia ab initio tantum in eo casu

K 3

admissa

admissa esse, quo aliquis nullos haberet heredes legitimos, qui aut iure sui heredis, aut agnationis aut gentilitatis testatori successuri essent. Id certum est, nullum vetustatis Romanae prostare monumentum, ex quo apparere possit, ciuibus ante legem XII. Tabb. iam licuisse praeteritis liberis suis, agnatis gentilibusque hereditatem ultimo suo elogio heredibus plane extraneis deferendi. Et tum sane pontificum maxime intererat, cauere, ne sacra testatoris, tanta diligentia huc usque administrata, eius morte interirent efficereque potius, ut interueniente eorum auctoritate cum ipsa hereditate in heredem extraneum transirent. Et quamuis 2) deinceps post decemviralē testandi licentiam cum priuatis communicatam, iure pontificio sacra cum pecunia seu bonorum vniuersitate coniuncta fuerint, semper tamen eadem necessitas pontificiae auctoritatis, quae in comititalibus testamentis ab initio requirebatur, in testamento quoque per aes et libram permanxit, cum sacra ipsa extra commercium priuatorum posita essent, ita ut, quamuis cum pecunia coniuncta essent, simul cum mancipatione ipsius hereditatis facienda consensu auctoritate et approbatione pontificum in extraneos heredes transferri possent. 3) Minus recte SCHWARZIVS ex adoptione atque conuentione in manum mariti, absque peculiari pontificum auctoritate omnino valida, deriuare ausus est argumentum, ad remouendam pontificum auctoritatem in translationem sacrorum, in heredes testamentarios faciendam. Nec enim in adoptione, nec in conuentione in manum mariti de sacrī, ab aliquo transferendis, qui illis non amplius fungi possit, agebatur, ut manifeste in causis hereditatum obueniebat, sed tam mulier, quae per conuentione in sacra mariti transibat, quam filius adoptius in patris adoptan-

adoptantis sacris recipiebatur, saluis plane manentibus ipsarum familiarum, ex quibus egressi erant, sacris, ita ut nulla ratio in his negotiis pontificum auctoritatem deposcere potuerit.

§. XXV.

Quibus igitur praepositis, absque omni prorsus negotio colligitur: **D E T E S T A T I O N E M S A C R O R V M** propri esse eam denunciationem heredi factam, qua solemni ritu a testatore in ipso actu testandi *sacra familiae, ex auctoritate pontificum, in eum transferuntur.* Verum enim vero haec sacrorum translatio in omnes prorsus heredes nequit quam erat necessaria. Si enim morienti patrifamilias aliquis heres existeret, qui aut iure sui heredis, aut iure agnitionis ad eius familiam pertinebat, hac certe sacrorum translatione, atque adeo eorum detestatione nulla ratione opus esse poterat, quoniam omnes vnius eiusdemque familiae agnati in communione ipsorum sacrorum familiarium iam constituti, atque adeo iam ipso iure his sacris adstricti erant. Proinde ad intelligendum non difficile est; non heredes solum in causa intestati iure sanguinis inter ingenuos succedentes, sed etiam ipsos heredes testamentarios, si nempe aut heredes sui aut agnati testatoris essent, iam ipso iure, absque omni interveniente detestatione, sacrorum familiae participes fuisse, ipsamque, si tum perfecta esset sacrorum in hos heredes transferendorum causa, detestationem omnino plane frustraneam atque superuacanam celebratamiri. Sine dubio ea detestatio in testamentis comitalibus primitus inualuit, cum horum testamentorum tota causa verisimiliter in eo versata fuerit;

vt

ut in extraneos, seu qui non erant ex familia ipsa testatoris, hereditas transferri possit. Verum postquam iure decemuirali latissimum testandi legandique arbitrium ciues consecuti erant, et post inuentum testamentum per aes et libram, non heredes suos legitimos solum praetereundi exheredandique, sed etiam eos ipsos heredes testamento nuncupandi, iisque magnam simul legatorum (quippe quae ex ipso iure decemuirali origines causasque habent) molem iniungendi licentiam acceperunt, adeo ut quisque ultimum suae voluntatis elogium conditurus promiscue et pro libitu suo, aut extraneos, aut necessitudinis vinculo iunctos heredes nuncupandi potestatem haberet, nullis plane cancellis terminatam. Et cum hoc testamentum, quoad formam suam, testamenti comitialis imaginem valde exprimeret, certe eadem detestationis sacrorum necessitas, quoties de iis in heredes extraneos transferendis agebatur, efflagitabat, ut ea cum ipsa mancipatione tum coniungeretur, vnoque actu legitimo, hereditas per mancipationem et sacra familiaria per detestationem in heredes transcriberentur. Quocirca ad cognoscendum quoque facile est, non in quovis testamento per aes et libram cum hereditatis mancipatione coniunctam fuisse sacrorum detestationem. Si enim heres hac solemnitate nuncupandus ad familiam testatoris pertineret, atque adeo ipsa in sacrorum communione iam constitutus esset, nulla peculiari sacrorum opus esse poterat translatione. Sed et altera accedebat ratio, propter quam testator in ipso testandi actu ea sacrorum detestatione supersedere poterat. Iure enim pontificio tantum *sacra* eam ob causam cum pecunia coniuncta erant, ne morte patris familias ea interirent. Etiamsi igitur testator liberos suos ceteros que

que proximos legitimos heredes praeteriret aut exheredaret, (quod ultimum tamen in testamento per aes et libram priore vix fieri poterat) omnino tamen evenire poterat, *ut morte testatoris sacra familiae non extinguerentur*, sed *ut potius post mortem eius ad liberos suos, aut ad proximos agnatos, licet praeteriti imo exhereditati essent, prorsus spectarent, cum praeteritio ipsaque exhereditatio, secundum notissima iuris civilis principia, nec patriam potestatem, nec iura agnationis perimerent.* Proinde secundum veram iuris pontificii rationem, ea sacrorum detestationis, in testamento per aes et libram priore, erat causa, *ut vel mancipatio hereditatis in eo verfaretur casu, quo morte testatoris sacra familiae simul interitura essent, vel minus.* Priori in casu, iuris pontificii auctoritas omnino cum mancipatione hereditatis simul detestationem sacrorum celebrandam depositebat. Posteriori autem in casu, sola hereditatis mancipatio tantum requirebatur, absque omni sacrorum detestatione peragenda. Iam vero, si secundum hanc rerum partitionem, testamentum hoc per aes et libram simul desideraret detestationem sacrorum, tum recte COEMTIO ab herede familiae que mancipe fieri, ipseque familiae emtor recte et secundum proprietatem verbi COEMTOR dicebatur, quod tum simul et *hereditas et sacra familiae coemta* essent, et familiae emtor cum ipsa testatoris pecunia sacra eius coemisset. Et ita porro sua sponte patet, non in quo quis testamento per aes et libram hanc fieri debuisse coemtionem, *ut nonnulli viri docti, qui de coemtionibus sacrorum interimendorum causa factis differuerunt, sibi mente concepisse videntur.* Quum vero deinceps in testamento per aes et libram posteriore, seu scripto, persona heredis a familiae emtoris persona separata fuerit,

L

omnibus,

omnibus ceteris solemnitatibus retentis, eadem tamen plane detestationis factorum obuersabatur causa, ita ut, si testatoris morte sacra familiae peritura fuissent, cum ipsa mancipatione, factorum translatio in familiae emtorem, licet imaginarius nunc esset, secundum solennitates semel receptas fieri deberet. Hoc facto, argumentum nunc naturali ratione ducebatur, in eiusmodi testamento cum factorum detestatione coniuncto *eum* sacris testatoris familiaribus post eius obitum *ad strictum fieri*, in quem per detestationem translata essent, *eum* autem, qui in tabulis testamenti heres esset scriptus, *hereditatem accipere omni factorum religione solutam*. Et ita hoc ipso huius testamenti artificio onus factorum ab hereditate auolsum erat. Nec dici potest, manifestam, hoc Iureconsultorum argumento, fraudem Iuri pontificio esse factam, quia Pontificum placitis id tantum effectum erat, ut sacra, si nempe, morte patrisfamilias alioquin interitura fuissent, cum ipsius hereditatis mancipatione in heredem simul solemnis detestatione transferri deberent, ne morte testatoris interirent. Et hoc omnino eueniebat, cum post mortem testatoris familiae emtor, his sacris administrandis, in eum sub hoc euentu translatis, eadem plane ratione adstrictus esset, ut in antiquiore testamento obligabatur, ea que igitur morte patrisfamilias, ultimum suum eo modo elogium perficientis, non interirent. Et hoc ipsum, quod nunc *alius*, quam familiae emtor, heres esset caperetque hereditatem, impedimento esse non poterat, nec ad Ius pontificium pertinere, quia potius Iuris civilis esset resque ad legislatoriam populi potestatem pertinens, alium in locum familiae emtoris, intuitu ipsius hereditatis adquirendae substituendi, familiaeque illum emtorem ab ea penitus

nitus excludendi. Tantum erat Iurisconsultorum artificium hereditatem eo modo a sacris, salvo Iure pontificio separandi!

### §. XXVI.

Cum itaque in hoc testamento per aes et libram recentiore, seu scripto, in eo casu, quo secundum iuris pontificii rationes sacrorum detectatio simul cum mancipatione celebranda esset, hereditas eo modo a sacrorum onere liberata esset, eaque ad heredem in tabulis testamenti scriptum pertineret, retentis a familiae emtore ipsis sacris familiaribus per detectationem in eum translatis, intellectu sane non difficile est, neminem sic hereditatem et sacra coemturm esse, cum secundum hoc εὐρητα quidem post mortem testatoris sacris faciundis adstrictus esset, nullumque autem plane commodum hereditario iure ex hereditate sibi simul mancipata amplius habere posset. Sola igitur causa in eo profecto nunc versari videbatur, ut iureconsulti tales reperirent coemtores, qui hoc onus sacrorum sine hereditate in se reciperent, ipsaque sacra, ut par erat ex instituto pontificum, post testatoris obitum rite administrarent. Et hoc ipsum alia ratione vis fieri poterat, quam ut ad has coemtiones faciendas, recte iudicante celeberrimo CONRADI l. c. §. 5. adhiberent senes orbos, pauperes, capulares et de herede sibi extituro parum sollicitos, qui certa pecunia ad impensam ferendam acceperat et lucello aliquo adpersi, sacra testatoris familiaria, secum interitura, administrarent. Quo enim facto naturaliter euenire debebat, ut sacra per mortem ipsius senis huius coemtoris, nullos plane heredes habentis, simul interirent, quod omnino salvo iure Ponti-

ficio fieri potuit, cum ratio eius tantum in eo posita fuerit, ne morte testatoris patrisfamilias interirent, sed potius in eius transirent heredes. Etenim per se patet, pontifices non impedire potuisse, ne sacra morte eius interirent, qui nullos plane heredes nullamque hereditatem relinquunt. Et ita, nisi omnia me fallunt, lucem sane eximiam accipiunt CICERONIS verba: *ingenio iurisconsultorum SENES REPERTOS esse ad coemtiones faciendas INTERIMENDORVM SACRORVM CAVSA*, cum eo modo in persona senis huius coemtoris, sacra eius morte extinguerentur, cui nemo heres extiturus esset, qui ex causa hereditatis ad sacra a coemtore acquisita, post eius mortem administranda obligatus esse posset. Haec sane interpretatio, quae cum rationibus iuris pontificii pariter atque iuris civilis tam perfecte consentit, omnes profecto difficultates soluit, a nobis in aliorum doctorum virorum explicationibus reprehensas, nullamque plane fictionem, iuris civilis antiqui aenigmatibus soluendis, infert, quae in omni alia explicacione ex necessaria quasi rerum consecutione sua veluti sponte nascitur. CICERO orat. pro Murena cap. 12. non dixit, *iurisconsultorum ingenio ipsas coemtiones faciendas interimendorum sacrorum causā inuentas esse*, sed potius expresse loquitur, *eorum ingenio SENES ad eas coemtiones faciendas esse REPERTOS SACRORVM INTERIMENDORVM CAVSSA*. Coemtiones enim, profecto, ipsas inuenire non necesse habebant, iam dudum in primo testamento per aes et libram ipsorum pontificum patriciorumque industria inuentas atque constitutas; sed id dignum iureconsultorum ingenio erat, modum inuenire, quo efficerent, ut illae coemtiones et sacrorum et hereditatis ex instituto iuris pontificii necessariae, ad interimenda sacra deduci

deduci atque applicari possent, saluis manentibus tam iuris ciuilis, quam iuris pontificij, rationibus. Et hoc vtrumque per has coemtiones ab eiusmodi senibus celebratas obtentum esse, res ipsa luculenter docet. Sua enim iuri pontificio seruabantur auctoritas, cum haec coemtio a sene coemtore facta impediret: *ne sacra testatoris morte interirent*, efficeretur ut post obitum testatoris ab eo administrarentur, in quem per detestationem transcripta erant, licet deinceps eius morte perirent. Iuris ciuilis vero rationibus, quippe quae in eo versabantur, ut tam testatori, ne eius ultimum elogium herede destituatur, quam ipsi heredi prospiceretur, ne nimis *sacrorum oneribus magnisque* ad ea administranda erogandis sumtibus ab adeunda hereditate deterreatur, ita plene adcommodata erat haec coemtio a senibus peragenda, ut hoc iureconsultorum artificio omnibus simul subueniretur. Certe a CICERO per cauillationem et in contemptum iurisconsultorum dicta essent, quae l. c. obscuris profecto atque contortis verbis contra hoc ICTorum inuentum perorauit, nisi id Poetis atque Oratoribus aliquando dandum esset, ut caussae suae saepius conclamatae inservientes, prodigiis et ostentis hariolari possint, ipsam rei naturam, veritatem, vtilitatemque multum dissimulantes, ut egregie de his Ciceronianis necessitatibus iudicauit, celeberrimus CONRADI, l. c. „Neminem turbare debet, quod hoc exemplum inter alia usus est Orator, scena inseruiens et, ut militarem gloriam atque eloquentiae dignitatem altius eueheret, deprimens iuris ciuilis scientiam, eique obstructans, tanquam in rebus fidis commentitissime conscienti, imo fraudis plenissimae. Hoc consilio formulas et legis actiones exagitat, atque optionem tutoris mulieribus

L 3

„lieribus

„lieribus concessam deridet. Hoc proposito quoque vti-  
„licatis, quam indicauimus, publicae rationem dissimulat  
„in coemtionibus sacrorum interimendorum causa inuen-  
„tis, dum eas inter exempla legum callide a Iureconsultis  
„eversarum refert.“

### §. XXVII.

*Quaedam circa nostram et aliorum interpretationes  
monentur.*

Quae quum ita sint, ex iis, quae iam disputauimus,  
abunde adparet, secundum nostram harum omnium re-  
rum interpretationem, totum negotium de sacris, per  
coemtionem a senibus factam, interemtis I. subfultum esse  
*sacrorum in heredes antiquitus facta translatione*, quae pro-  
prie per **SACRORVM DETESTATIONEM** in ipso  
simul testandi auctu fieri debebat, eamque II. quidem primum  
in *testamentis comititalibus inualuisse*, ab his autem ipsorum  
Pontificum auctoritate *ad testamenta per aes et libram fuisse*  
propagatam, atque adeo III. in his *heredem solemnitati-  
bus mancipacionis*, vna cum *sacrorum interueniente detesta-  
tione*, et *hereditatem et sacra testatoris COEMISSE*, hoc  
que ipsum simul veram continere et proprie dici **COEM-  
TIONEM**, IV. eo tempore, quo in testamentis per aes  
et libram *is familiae emtor fuerit*, qui et *verus esset heres*,  
eum quoque per hunc aetum legitimum et pectuniam seu  
hereditatem, et *sacra testatoris adquisiuisse*, V. postquam  
autem artificio Iurisconsultorum familiae emtor non am-  
plius fieret heres, sed potius auctoritate ipsius populi Ro-  
mani *alias in tabulis, lino et cera consignatis, scribi posset  
heres*, ad quem morte testatoris ipsa perueniret hereditas,  
factum

factum inde esse, ut *sacra* per detestationem in familiae emtorem translata ab hereditate ita diuulsa fuerint, ut *illa familiae emtor solus* habuerit, hanc autem absque omni sacrorum religione *situs heres* in testamenti tabulis scriptus adquisiuerit, postquam, nempe, hic de adeunda hereditate suam declarauisset mentem; VI. Cum autem hac ratione non facile aliquis hanc coemtionem celebraturus esset, in qua quidem, respectu sacrorum, *verus*, sed intuitu hereditatis, *imaginarius* tahtum *emtor* esset, atque adeo onus sacrorum absque vilo hereditario emolumento acquirere deberet, iurisconsultos testatoribus nunc autores fuisse, ut *ad personam familiae emtoris* in eo testamenti negotio agendum tales adhiberent *SENES*, qui *nulllos habituri essent heredes*, et qui, accepta pecunia ad ferendam impensam necessaria, lucello aliquo adpersi hoc sacrorum *onus* solemini ritu aere atque libra sibi compararent, ipsaque testatoris *sacra* usque *ad suam mortem* debito modo administrarent; atque VII. naturali ratione inde euenire debuisse, ut *sacra* cum ipsa morte huius *SENIS FAMILIAE EMTORIS* interemta pleneque *extincta* fuerint. Hac interpretatione et menti ipsius *CICERONIS*, ut ut compressis verbis expressa videatur, et omnibus tam ciuilis, quam pontificii Iuris principiis perfecte adcommodatam explicationem nos adsecutos esse, iure omnino meritoque credimus. Errores profecto omnium explicationum, quas viri docti de hac coemtione sacrorum interimendorum causa, tam anxie vnde quaque conquisiuerunt, ex male intellectis tam Iuris pontificii placitis, quam Iuris ciuilis principiis ita negleccitis, orti videntur, ut aut ipsi iuri pontificio aut iuri ciuali vim intulerint manifestam. Et quidem I) omnes fere praeter *GUTHRIY*, *GRAVINAM*, atque *CONRADI* in ea fuerunt

fuerunt opinione, quod *peculiares* et ab illis *coemtionibus*, quae in ipso siebant testandi aetate, diuersae, iurisconsultorum ingenio *coemtiones* sacrorum interimendorum causa excogitatae atque inuentae fuerint; quod vero nec unquam factum est, nec ex ipsis **CICERONIS** verbis, nec ex vlo alio veteri scriptore adparet. 2) Omnes fere mente sibi conceperunt, iure pontificio *semper sacra pecuniae* seu *hereditati cuicunque* ita alligata esse, ut quicunque heres esset defuncti testatoris, eius quoque sacra simul adquisivisset, quod tamen omnino falsum est, prout ipsa **CICERONIS** verba hoc satis demonstrant; hoc vno posito, inquit, „haec iura pontificum autoritate consecuta sunt, „*ne morte patris familias* *sacrorum memoria* „*occideret*, iis essent ea adiuncta, ad quos eiusdem „*morte*, *pecunia* *venerit*,“ (§. 2.) ita ut necessaria inde consecutione colligi debeat, *haec sacra pecuniae testatoris non esse posse* adiuncta in eo casu, quo non evenire potest, *ut sacrorum memoria morte patris familias occideret*. Proinde haec coniunctio sacrorum cum pecunia neutiquam erat iure pontificio *absoluta*, sed tantum *relativa*, atque ad *hanc conditionem* seu ad *hunc eventum* *restricta*. Certe hi viri docti non animo comprehendisse videntur, quod si his iuris pontificii placitis tam extensus atque universalis ambitus concederetur, necessarie simul inde consecutum fuisset, sacra priuata eo ipso a familiis, quatenus in personas deducuntur, penitus separata atque auulsa fuisse. Et enim quisnam ex filiis exheredatis *sacra paterna antiquitus* in familiis constituta *fuisse* pisset, seque ad onus sacrorum recipiendum *obligatus* esse credidisset? si *hereditati paternae*, qua ipse cariturus esset, ita *adstricta* essent, ut ad *heredes paterno testamento institutos* cum ipsa *hereditate transire* deberent.

deberent. Certe ex hoc virorum doctorum commento sequeretur, sacra familiaria virtute huius iuris pontificii non amplius familiaria permanuisse, eorumque naturam, primis temporibus more maiorum constitutam, hoc ipso iure pontificio euersam esse, quod tamen, tantum abest ut in potestate pontificum fuerit, ut potius ipsorum pontificum arbitrium et legibus et maiorum moribus quam maxime subordinatum fuerit. 3) Viri docti, qui hac in re errarunt, satis false sibi persuaserunt, **IPSO IVRE cum hereditate testatoris sacra eiusdem in heredes transiisse**, quod nec verisimile est, nec in potestate pontificum possum esse potuit, ut sua autoritate id efficerent, quoniam ipso **CICERO NE teste nulla lege, sed sola pontificum autoritate** sacra pecuniae adligata sunt, atque adeo pontifices tantum auctores fieri poterant, ut eodem simul actu, quo de hereditate testamentum perficitur, negotium id quoque perageatur, cuius virtute sacra, alioquin testatoris morte interitura, in heredem transferri possint; et ita eam ob causam in antiquissimis comititalibus testamentis inuenerunt sacrorum detestationem, eamque deinceps ad testamenti per aes et libram solemnitates propagarunt, idque hoc artificio solo obtinuerunt, ne testatoris morte sacrorum memoria occideret. 4) Magnis, imo infinitis difficultatibus se implicauerunt viri docti, **coemtionem ab HEREDE ipso cum senne aliquo perimendorum sacrorum, hereditati annexorum, causa celebratam esse** statuentes, quia hoc ipsum non illi solum iuris ciuilis regulae manifeste et e diametro repugnat, quod **heres post acquisitionem semel hereditatem personam heredis depone**, seque ab hereditariis obligationibus per ipsam hereditatis aditionem contractis liberare nequeat, sed etiam vniuersae tam iuris pontificii quam iuris ciuilis doctrinae, summam

M

infert

infert vim, cum nulla ratione possit fieri, ut sacra per dispositionem inter viuos vlo vnquam modo alienentur atque in alios transferantur. Notissimi iuris est, res divini iuris, ad quas etiam pertinent sacra, non in hominum esse commercio, imo ne quidem per ipsam vltimi elogii virtutem in aliquem transferri potuissent, nisi id auctoritate ipsorum pontificum factum, ipsorumque editis sacra pecuniae in eum euentum alligata fuissent: *si morte patris familias alioquin interitura essent.* Eiusmodi visiones certe in GRONOVIO, GRAEVIO, SCHWARTZIO ceterisque viris licet doctissimis, nulla autem iuris doctrina imbutis non miror, sed totus horrore perfunditur animus, si iurisconsulto tale quid excidisse videmus, ut a HEINECCIO antiquit. Rom. L. I. Tit. XI. n. ad §. I. factum est. Et quamvis ipsa Gronouiana explicatio huius coemtionis, omnibus iurisprudentiae Romanae principiis plane repugnans, imo impossibilitatem continens nullo modo ferenda sit, id tamen in GRONOVIO omnino laudandum est, quod antecessorum suorum fabulas de senibus coemtionalibus plane exploserit reieceritque, cum hac sententia, licet GRVPENIVS de vxore Rom. cap. 5. §. 20 seqq. inter recentiores de iis multum somniauerit, nihil frigidius cogitari possit. Senes enim coemtionales, qui tantum bis apud veteres, CVRIVM, nempe ad Cic. Lib. VII. Epist. 29. et PLAVTVM Bach. atq. IV. cap. XI. occurunt, nam LIVII locus, quem nonnulli viri docti excitare solent, controversus est, non significant nisi mancipia viliora, quae per se cum emtorem non inuenirent, cum aliis vendebantur, ut pretium eorum, quibus accederent, solum augerent. Et hanc quidem coemtionem a senibus factam

factam sacrorum interimendorum causa HENRICVS  
 BRENK MANNVS de eurematicis cap. 12. §. 18. inter  
 eurematica iuris ciuilis et iureconsultorum ingenio inuenta  
 retulit, sed ne vno quidem verbo explicauit Ceterum  
 omnino ex iis, quae disputauimus, intellectu facile est,  
 has coemtiones in paucioribus tantum casibus, in ipsis testa-  
 mentis per aes et libram, obuenire potuisse. Quum vero dein-  
 ceps testamentum Praetorium sensim paullatimque inualuis-  
 set, quod ipsum mancipacionis solennitatibus solutum esset,  
 per varias temporum successiones effectum videtur, vt haec  
 iuris pontifici autoritas in dies magis magisque spreta fuerit,  
 adeo vt iurisconsulti sub Caesaram imperio florentes, ea-  
 rum coemtionum vix in libris suis meminerint, licet ipsi  
 mancipacionis solemnitati nondum derogatum, eaque V L-  
 PIANI adhuc aetate pro parte vnu seruata fuerit. Et haec  
 sunt, quae de arguento hoc perobscuro, et in quo iu-  
 ris antiqui pertenuis memoria superest, disputare  
 nostrarum partium esse duximus.

T A N T V M.





Frankfurt a. O., Diss., 1776-97

ULB Halle  
007 520 611

3




N 718



Farbkarte #13

B.I.G.



DISSERTATIO IVRIS CIVILIS ANTIQVI  
DE  
COEMTIONIBVS  
QVAE FIEBANT  
SACRORVM INTERIMENDORVM  
CAVSSA.

AD CICER. ORAT. PRO L. MVRENA CAP. XII.



QVAM  
PRAESIDE

GEORGIO SAMVELE MADIHN  
IVRISCONSVLTO ET ANTECESSORE  
ATQVE ORDINIS ICITORVM H. T. DECANO  
IN ACADEMIA REGIA VIADRINA

DIE IVNII CIICLOCLXXXII.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SUBMITTERE VOLVIT

A V C T O R

ADOLPHVS GVILIELMVS FRIDERICVS COCHIVS  
POTSDAMIENSIS.



TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

